ALBERTI SCHULTENS

ORATIO ACADEMICA.

IN MEMORIAM

HERMANNI BOERHAAVII,

VIRI SUMMI.

EX DECRETO

RECTORIS MAGNIFICI ET SENATUS ACADEMICI

HABITA

Die IV. *Novembris*, *An.* MDCCXXXVIII.



LUGDUNI BATAVORUM,

Apud JOHANNEM LUZAC, 1738.

Digitized by Google

Digitized by Google

L. S.

TANTUM est Nomen HERMANNI BOERHAAVII, ut semet cumulatissime laudet; atque ipsum sibi omnia parentationis officia, ad perennem seculorum memoriam, praestet.

Digitized by Google

Hoc niſi eſſet, etiam in religioſo obſequio, temeritatis crimen effugere non poſſem.

Nunc me haec ſolatur, & ſuſtentat, cogitatio; Talis Viri Laudibus nec accedere quicquam, nec decedere, quo tandem cumque pacto Ei fuerit parentatum.

Juſta Ei perſoluta quae voluit, non quae meruit.

Commentariolus Studiorum & Vitae, in quo Cl. Defunctus ſummis faſtigiis ſtrinxit quae ad Ordinem narrationis pertinebant, filum dedit; materiam negavit, & ſubtraxit.

Donorum Largitor, ac Diſpen-

ſa-

Digitized by Google

ſator, qui in BOERHAAVIO humanae perſpicientiae metam, & Eruditae gloriae culmen, conſpici voluit; Excellentiam Viri in ſummiſſo de ſe, Rebuſque ſuis, ſenſu fundavit.

Hinc quicquid Laudationem hanc ditiſſime inſtruere, & exornare, debuiſſet, in illis annotatiunculis ſuppreſſum; magnoque ſilentio tramiſſum.

Id tantum ibi cum cura conſignatum, quod vel pietas in Parentes, & bene de ſe meritos; vel Religionis & Veritatis amor; vel gloria ſummi Numinis; ſubduci non ſinebant.

Inſignes hae pericopae ut Le-

ctorem adverterent, eas majuſculis literis a reliquo contextu diſtinxi, & eminere juſſi.

His unicis Elogii hujus ornamentis ut auſa, & conatus, hominis, diverſiſſimum ſtudiorum genus ſequentis, donentur, votorum meorum ſumma eſt.

MAGNI-

Digitized by Google

MAGNIFICE RECTOR.

PERILLUSTRES ET GENEROSISSIMI ACADEMIAE CURATORES.

NOBILISSIMI ET AMPLISSIMI HUJUS CIVITATIS CONSULES; JUDICES; QUIQUE IIS A CONSILIIS, ET ACTIS; VIRI GRAVISSIMI.

CLARISSIMI OMNIUM DOCTRINARUM ARTIUMQUE PROFESSORES, COLLEGAE HONORATISSIMI.

QUI TRIBUNALI ACADEMICO AB ACTIS ES, VIR NOBILISSIME.

QUI

Digitized by Google

QUI CL. DEFUNCTUM NECESSITUDINE SANGUINIS CONTINGITIS, VIRI HONORANDI.

VERBI DIVINI INTERPRETES SUMME REVERENDI.

PRAELECTORES ERUDITISSIMI.

DOCTORES OMNIUM SCIENTIARUM PROFUNDISSIMI.

CIVES, HOSPITES, SUO QUISQUE LOCO SPECTATI, HONORATI.

VOS DENIQUE FLOS HONOSQUE JUVENTUTIS LECTISSIMAE: SPES MAGNA REIPUBLICAE, ET ECCLESIAE.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO FUNEBRIS

IN

MEMORIAM

HERMANNI BOERHAAVII

PRINCIPIS MEDICI.

Memoriae proditum, quum *Marcum Aurelium Antoninum*, cognomento *Philoſophum*, imperio Romano eripuiſſent Fata, primum quidem nuncium omnes ordines, aetates, domos, veris lacrymis, vero luctu, merſiſſe.

Sed quum deinceps Imperatorio funere elatus conſecraretur, omnem planctum compreſſum, ejuſque loco Gratulationem publicam coortam fuiſſe.

Nempe praecellens virtus, & non *Barba ſapiens*, ſed *Mens* ac *Vita Philoſopha Viri*, qui in ſummo culmine Fortunarum, ac potentiae, ſeſe *Temperantiae*, *continentiae*, *lenitatis*, *manſuetudinis*, *bonitatis* Eminens dederat Exemplum, hanc omnibus Fidem adfirmabat, *Marcum Antoninum* non nomine, ſed Re, *Divum* factum: ac proinde magnitudinem ejus commune lacrymarum tributum aſpernari: gratationemque potius immortalitatis depoſcere.

Digitized by Google

Subierat, credo, *Romuli* nepotes *Emilianum* illud:

Nemo me lacrymis decoret, neque funera fletu
Faxit. Cur? Volito vivu' per ora virum.

Conſimili cogitatione mentem quoque meam in magna hac ſolemnitate pertentari ſentio.

Qui dies BOERHAAVIUM *fuiſſe* palam fecit, non *Academiam* ſolum, non *Civitatem*, non *Rempublicam*, ſed *Univerſum Orbem*, ubicumque eruditioni pretium, & virtuti, magni juſtique mœroris implevit.

Dati ab aliis gemitus. Ab aliis piae lacrimae effuſae. A multis acerbiori dolori laxata frena ſunt.

Ab omnibus & *Honoris* & *Amoris* ea ſigna praebita, quae pectoribus omnium alte impreſſam ſummam *Summi* Viri venerationem, teſtarentur.

Nunc in Templo Aeternitatis *Chriſtiano ritu* conſecrandus nobis, quem Magnum inter Magnos praeſens aetas celebravit; ventura ſecula purioribus adhuc laudibus vehent.

Gratationis haec materies, non luctus argumentum.

Obſtupeſcitis ad dicti audaciam. Edico tamen fidenter.

BOERHAVIUM qui lugeret hodie, magnitudinem ejus ignorare mihi videretur.

Quum ſive *vitam* ſpectemus, nihil ad *gloriam* illuſtrius.

Sive *Mortem*, nihil ad *Fidei* noſtrae ſanctiſſimae *Triumphum* magnificentius, dari queat.

Utinam modo hanc laudum ſuarum excellentiam non

Digitized by Google

non ipſe BOERHAVIUS oculis veſtris ſubductum iviſſet: eum vobis *Laudatorem* aſſignando, quem non ſine ſtupore hic adſtare cernitis.

Quidni? Ipſemet totus obſtupeſco, cohorreſco, contremiſco, ad provinciae mihi impoſitae gravitatem.

Ei ferendo me imparem, ut omnes probe noviſtis, ita publice id profiteor, promulgoque.

Cur ergo humeros ſubjunxi?

Quia Religio fuit tanti Collegae, & Amici, vota, quae mihi non niſi poſt deceſſum innotuerunt, minuere.

Inverecundum quoque fuiſſet, ab Ampliſſ. Senatus in eandem voluntatem conſpirante conſenſione diſcedere.

Extraordinariae deſignationis cauſam qui tacitus forte ſecum requiret, fruſtra fuerit, aliam ſi mente concipiat, quam incomparabilem Viri modeſtiam.

Gnarus ille, *Schultenſio* ſuo inacceſſa penitus *Miracula Doctrinarum* in quibus principatum tenuit, Narratorem vobis ſummiſit, qui nihil aliud valeret, quam ſimpliciter expromere, quae ad *Hiſtoriam Vitae & Studiorum* pertinerent.

Talem ſi hominem nunc patienter audire ſuſtineatis, omnium ordinum Aud. Humaniſſ. venerationem, quam *Boerhavio* piis pectoribus dicaſtis, vos compleſſe, ac cumulaſſe, gratus prædicabo.

Maximus ille Virorum, de quo dicere aggredior, in lucem editus eſt *Hora prima nocturna ultimi Decembris.* Anno ſupra *Milleſimum, Sexcenteſimo Sexageſimo Octavo.*

Natale ei ſolum præbuit pagus *Voorhout*; ſuburbanus ferme Almae hujus *Muſarum* ſedis, qua *Harlemum* tenditur; ubi ad alterum lapidem amoeno ſitu, proſpectuque, ſe offert.

Ibit in æternos faſtos non ignobilis alias locus, quod naſcentem excipere meruerit, qui inter *Batavorum* numeroſa & ſplendida decora tam magnifice emineret.

Rari, nobiliſque, germinis ſator *Jacobus Boerhaave*, Eccleſiae *Voorhoutanae* Paſtor: qui Doctrinam *Evangelicam* virtutibus vere Chriſtianis, efficaci & vivo exemplo, quoad terris oſtenſus fuit, decoravit.

Hujus pater quoque, *Jacobus*, cum Avo *Carolo*, proavoque *Marco*, *Boerhaaviis*, omnes cives fuere urbis hujus florentiſſimae, honeſtique ordinis Mercatores.

Eruditionis decus primus in Familiam intulit *Marcus Boerhaave*, *Jacobi* illius, unde noſter lucis uſuram accepit, patruus.

Hic *Eccleſiae Chriſti* in civitate *Medeblicana* fidelem curam impendit, quin univerſum *Belgium* pietatis odore, quem *ſcripta* Viri *practica* ſpirant, replevit.

Horum majores e *Flandria* oriundi, gentilicio nomine *de Riviere* inſigniti fuere.

Sed tales nunc bracteolas dignitatis avitae conquirere

rere haud ſane decorum eſſet in Viro, qui vel ſolus Stemma ſuum efficit, atque omni ſplendore exornat.

Juſta tamen non perſolverem piis *Defuncti* Manibus, niſi *venerandi Parentis* effigiem modeſtis illis quidem, ſed vivis lineis in commentariolo curſus vitae a Noſtro expreſſam, in medium darem.

En verba ipſa.

Erat Hermanni Genitor Latine, Graece, Hebraice ſciens: peritus valde Hiſtoriarum & gentium. Vir apertus, candidus, ſimplex: paterfamilias optimus amore, cura, diligentia, frugalitate, prudentia.

Qui non magna in re, ſed plenus virtutis, novem liberis educandis exemplum praebuit ſingulare, quid exacta parſimonia polleat, & frugalitas.

Religio fuit vel literulam in *Elogio* hocce minuere, ut continuo ſentiatur *Fortem forti procreatum*. Qui etiam in ſummis opibus paternum illud Frugale, Antiquum, a mollitie ſeculi intactum, ac vere *Socraticum*, illuſtriore adhuc exemplo *Batavis* ſuis repræſentarit.

Eodem generoſo honeſto incoctum pectus geſſit *Hermanni* noſtri genetrix *Hagara Daelder*, filia *Hermanni Daelder*, Mercatoris & Artificis, in urbe *Amſtelodamenſi*, peringenioſi: atque *Magdalenae du Bois*.

Florens Avi, Aviaeque, domus, haud exigua orna-

menta addere poſſent noſtræ *Laudationi*, niſi omnia omnium decora unum Defuncti nomen expleret, atque quicquid tralaticii eſt honoris mittere juberet.

Veneranda Noſtri mater, maritum, cui juncta fuerat 10 Jul. 1663. ſex liberis auxit, praeter *Hermannum*, feminei ſexus.

Harum nonnullae mox defluxere.

Earum quæ ſupervixere una, natu minima, *Maria*, matrimonium tenet *Chriſtoph. Wreede*, Mercatoris *Hamburgenſis*, cujus filiam nuper domum deduxit Nobiliſſ. *Mauricius*, qui *Hamburgi* ad negotia *Belgii Fœderati* tractanda, cum dignitate *Excellentis Reip. Adminiſtri*, reſidet: magna jam ornamenta meritus; majora promeriturus.

Altera *Margareta*, vidua *Jac. Kaau*, *JCti*, & *Medicinae Doctoris Celeberrimi*, *Hagae Comitum*, quem inde ab Anno 1728. luget, nunc Fratre quoque amantiſſimo orbata, habet tamen quo ſe erigat, tum reliquae ſobolis dignitate, tum quod magno gradu ad Patris & Avunculi gloriam conſurgere videat nobile par Fratrum, *Aeſculapiae* artis laurea inſignem utrumque.

Horum alter *Herm. Kaau*, felici praxi inclareſcens, praerogativa quoque gaudet honorificae hac in *Academia* oblatae conditionis.

Alter *Abr. Kaau*, id damni quod medio ſtudiorum curſu in auditus ſenſu fecit, per Defuncti Noſtri indulgentiſſimam bonitatem ſibi compenſatum lae-

laetatur, quippe qui tum ob praeſtantiam indolis, tum ob acerbitatem caſus illius, meruerit in ſinu velut *Boerhaviano* ad ſapientiam Medicam aliquot per annos corroborari.

Specimina egregia ſui, quae tum *Orator* dedit in *Academia*, tum *Auctor* in *Orbe Erudito*, alias commemorabuntur. (1)

Una cum quantivis pretii legatis, quibus uterque a Cl. Defuncto Honoratus. (2)

Mira naturae potentia. Ipſam *Boerhavii* noſtri Matrem *Medicae* ſcientiae dulcedine ductam; ejuſque cognitione haud perfunctoria imbutam fuiſſe reperio.

Haec conſummatam ſeſe virtute, pietate, diligentia, familiaris cura rei, Matremfamilias praeſtans, creſcenti Domui immaturo fato ſubducitur Anno 1673.

Eam ut a tanto vulnere recrearet Amantiſſimus Pater, *Julio* Anni inſequentis in ſecunda vota conceſſit, ſociamque ſibi tori legit *Evam du Bois*, filiam Viri Venerandi *Jac. du Bois*, hac in Civitate *Verbi Divini Miniſtri*, & *Elandinae Geldorpiae*, cujus Pater & Fra-

(1) Sexto *Decemb.* 1737. ſub praeſidio Cl. *Burman.* habita a praeſtantiſſ. juvene *Oratio* de *Gaudiis Alchemiſtarum.* Doctrinam & Facundiam adſtupuit Univerſa *Academia.* Actio Nummo Aureo ab Ill. Curat. & Conſſ. honorata. Sub finem *Octobris* hujus *Anni* comparuit Ejuſdem Viri juvenis opus elaboratiſſimum de *perſpiratione Hippocrati dicta per univerſum corpus Anatomice illuſtrata.* Ei ſuperior illa *Oratio* adjecta.

(2) Magnificus *Anatomes* & *Chemiae* paratus, maximis ſumtibus laboribuſque congeſtus a Cl. Defuncto, ceſſit *Abrahamo.* Theſauri ſcientiae, & experientiae: Adverſaria, ſcripta Medica, reliqua docta ſupellex, ambobus conceſſa.

Digitized by Google

Frater quoque *Miniſterium Evangelicum Amſtelodami* ornarunt.

Hujus *Elandinae mores ſanctiſſimos, raram virtutem, amabilem indolem admirari par eſt*, quod quum primi lecti reliquam quaternam prolem copioſiore adhuc partu adauxiſſet, *nunquam tamen internoſci* potuerit, quibusnam nomine, quibusnam natura, Mater eſſet.

Tam *aequabili inter omnes amore diſpertito*, ut eam conſpirante tenerrimo adfectu tanquam *propriam Genetricem* dilexerint omnes.

Seque invicem germaniſſimo amore & tum complexi fuerint admirabiliter: & per omnem deinceps vitam proſequi non ceſſarint.

Secundus hicce torus cum quatuor Filiabus, quarum tres ſuperſtitant, *Eva*, *Sara*, *Jacoba*, dedit duos virilis ſexus *Jacobum* & *Marcum Boerhaavios*; miniſterio ſacro admovendos. Minor *Marcus Bredanae Eccleſiae* præfuit: *Jacobum*, noſtra Civitas Sacrorum Antiſtitem veneratur.

Hujus pientiſſimae jam non Novercae, ſed alterius Matris, eminens virtus tam alte gratum Noſtri pectus inſederat; ut poſt Patris deceſſum nunquam ab ea divelli ſuſtinuerit; Nutricia ei perſolvere conatus ſit ſemper: Defunctam A°. milleſimo Septingenteſimo ſecundo veris lacrymis *deflerit: nihilque acerbius doluerit, quam quod tantis meritis reſponde-*

re,

re, dignamque vicem reddere non potuerit : ſumma ſemper ope nixus, fratribus, ſororibuſque, ex ea prognatis, beneficentiam maternam utcumque repenſare.

Tam ſancta in domo natus, tam felici educatione ad omnem virtutis excellentiam, quam magna pueri indoles promittebat, animatus atque accenſus, ut Flos Honoſque ſtirpis Deo & Sacro Miniſterio a Parente deſtinatur.

Eum in finem ipſe *Latinæ Græcæque Linguæ* elementa tenello adhuc *ad præcepta Voſſiana* inſtillare. *Eraſmi colloquia, Terentii fabulas*, explicare: ad Fonteſque eum ducere, e quibus aetas illa jam tum ſucco puriore *Latini* ſermonis tingi debet, ut vivum ejus ſenſum intimis combibat medullis.

Graecis fundamentis cum alia, tum *Novi Teſt.* perpetua *Lectio*, & *Explicatio*, ſuperſtructa. Adjunctus hiſce *Hiſtoriae Univerſalis* jucundus ille campus, & conſpectus, quem *Chriſtiani Matthiae Theatrum* pandit.

Cuncta haec eo ſucceſſu, ut *undecennis* Noſter *omnibus hiſce commode uti poſſet ſolus; ad regulas Grammatices utraque in Lingua promtus; nec minus Belgica Latine, quam Latina Belgice vertere gnarus: quin Libros, qui in Origines verborum in-*

Digitized by Google

quirunt, atque interiora vocum ſenſa exponunt, ſcitule intelligens.

Felicia enim vero Humaniora, atque adeo Doctrinas omnes, quae ab hac tinctura colorem ferme trahunt, ſi, qui *Academica ſpatia* ingrediuntur Adoleſcentes, eo jam interioris guſtus perveniſſent, quo Noſtrum a ſapiente ſtudiorum Auſpice perductum videtis.

Minus certe ſic mirum, ſi tanta indoles nativis ſtimulis ſeſe acuens, ſuisque ſemet incitamentis urgens, tam fidum & firmum nacta Ductorem, eo eſcenderit faſtigii, unde cuncta ſecula Admiratione ſui complebit.

Diviſis interim temporibus corpus quoque leniori agriculturae exercitio durare ſolers Pater, atque ipſo labore animum laſſari neſcium ad ſtudia reficere.

Manſit per omnem vitam Noſtro ejusdem laboris & ſuſcipiendi amor, & ſuſtinendi vigor, atque ad Herculeam quandam firmitatem nervoſiſſimam artuum compagem corroboravit.

- - *Adeo a teneris inſueſcere multum eſt.*

Silentio hic praeterire nefas, quod in ſe haud ita magnum, momentum tamen tulit ad ſtudiorum deinde inclinationem.

Nempe circa duodecimum aetatis annum corripuit Noſtrum *Ulcus malignum, quod femur laevum depa-*

paſcens, Medicinam & Chirurgiam pertinaciter eludebat.

Morbo, remediiſque ſimul, divexato, & diris doloribus confecto. Noſtro, moleſtum praecipue accidebat, ardoris in literas per ſane diuturnum ſufflamen.

Non perſanatum certe malum, niſi *anno* demum *Octogeſimo quinto.*

Quando relictis Medicis ipſe *ſale & lotio* continenter illud *fovendo*, tandem evicit.

Adjectum a Noſtro, *ſe hac occaſione, proprio dolore coactum, primum de ſtudio Medicinae cogitare coepiſſe.*

Adſtupetis caſui, & vim Genii non ſine admiratione auribus accipitis.

Adſtupetis praeſertim profundum illud Providentiae; quae malum, quod Boerhaavii pueri feliciſſimum ingenium in herba opprimere minabatur, convertit in primum velut ſemen laetiſſimae ſegetis, & meſſis copioſiſſimae, quae ad Medicam artem ab altero hocce *Aeſculapio*, aut *Hippocrate*, redundaret.

Ut, inter initia morbi, praeſentiori Medicorum ope uti, ſimulque ſtudia inchoata perſequi, liceret, Ao. 82. ſuperioris ſeculi *Leidam* a Venerando Parente deducitur, Rectorique Scholarum *Wigardo Wyrſchotano* ſiſtitur, exploraret, cuinam claſſium frequentandae Noſtrum idoneum cenſeret.

Ille palaeſtram hancce ingreſſuro aſſignat quartam

Scholam; unde curriculo ſemeſtri primo praemio honeſtatus adſcendit in quintam.

Rurſus poſt ſex menſes aliam palmam reportans, in ſupremam transſcribitur claſſem, jam *Academiam* proſpectans & anhelans.

Sed O volucres Mortalium res opesque!

Tertium hoc ſemeſtre, quod libera *Muſarum* ſpatia Adoleſcentulo aperire debebat, omnem *Academiae* attingendae ſpem ferme ſuccidit. Namque 12 Nov. 1683. optimus genitor praemature terris ſurreptus, funeram vere domum, viduam, novenamque ſobolem, in qua natu maxima ſedecim annorum, deſolatam reliquit.

Ardens tamen in ſtudia Noſter, vitamque ſibi haud vitalem ducens, ſi *Muſarum* ſinu avelleretur, a *Curatoribus* ſuis *impetrat*, ut *quoad patrimonium ſufficeret*, curſum ſuſceptum proſequeretur.

Adflictus, & naufragae ratis inſtar jactatus, fortuna tamen ſua major, Brabeion ſemeſtris diligentiae denuo in Schola Rectoris aufert.

Et jam *Academiam* ingredi potuiſſet, menſe Febr. 1683. niſi ob *debilitatem femoris* praeoptaſſet *aliud* adhuc *ſemeſtre ſub fructuoſa* Doctiſſ. *Wynſchotani* diſciplina *contineri*: unde ſub initio novi anni *Academici* novo decoratus praemio in novum promicuit ſtadium.

Rapidiſſima haec celeritas manifeſto indicio eſt, tam fidam firmamque a Beato parente datam inſtitutionem, tam fortem ac fidelem a Noſtro navatam ope-

operam, ut jam tum, quum *Leidam* primum adduceretur, Rectori Magnifico sisti potuisset, vel tredecennis, ad Album Studiosorum nomine Boerhaaviano tanquam insigni gemmula honestandum.

Raram ingenii, virtutisque, indolem, magnum quid minari cernens Vener. *Jac. Triglandius*, Amicus Paternus, *Ecclesiae* hujus tunc pastor, brevique post *Theologiae* quoque docendae in *Academia* admotus, Adolescentulum cum ipse singulari amore complexus est, tum *benevolentiam* ei conciliavit *generosam*, *constantem*, & *Paternam*, Viri Amplissi. *Danielis van Alphen Simonis* F. quem maximi quos Civitas & Respublica dant honores ita illustrarunt, ut non minorem iisdem splendorem mentis celsitudine circumdederit.

De horum consilio dedit se Disciplinae Cl. *Senguerdii*, ex quo *Dialectica*, *Metaphysica*, *Physica*, *usum Globorum*, & *Politica*, incredibili velocitate arripuit: *quinquies* propterea ab hoc praeside in *Cathedram Academicam productus.*

In *Graecis Latinisque* ducem habuit Celeb. *Jac. Gronovium.*

Itemque Cl. *Ryckium* in *Latinis*, *Rhetoricis*, *Chronologicis*, *Geographicis.*

Hebraica & *Chaldaica* ab harum literarum scientissimis *J. Triglandio* & *Car. Schaaf* accepit.

Omnia eum in finem, ut Sacra, quibus dicatus

erat, ex ipſis *Fontibus* haurire poſſet, neque obnoxiam alienae auctoritati gereret fidem.

His dies noctesque impendens, *Matheſios utilitatem, neceſſitatemque, perſentire* coepit.

Ei *leviter ſe dedit* Anno 1687. mox *dulcedine prolectante* ſe penitius in eam immerſit, per *Geometrica, Trigonometrica, eorumque praxin, properans ad Algebram.*

Hanc Anno 1689 ineunte ex ſapientiſſima Doctrina Magni *Volderi* aſſecutus, in amorem excellentis ſtudii, *quod mirifice ingenio ejus placebat*, exarſit, *Syntheſin Geometricam veterum admirans maxime, & excolens, ad augendam vim intelligentiae. Analyſin recentiorum ad uſum nova inveniendi.*

Eodem anno 1689. qui Vigeſimus primus aetatis, praeſide *Cl. Gronovio* Eruditionis & facundiae ſpecimen dedit, habita *Oratione Academica* qua probabat, *bene intellectam a Cicerone*, & confutatam, *ſententiam Epicuri de ſummo bono.*

Profundum Argumentum, cujus diſcuſſio non niſi a magno ingenio ſuſcipi potuit. Copia dicendorum illuc digredi vetat.

Munifica Procerum liberalitas *Aurco nummo* actionem cohoneſtavit.

Anno 1690. *Philoſophiae* laurea inſigniendus, *diſputationem inauguralem habuit de diſtinctione mentis a corpore.*

Ju-

Jugulat ibi, praeter alios, quos miſſos facio, *Epicurum* ejuſque *Hyperaſpiſtam*, *Hobbeſium*.

Jugulat in primis *Spinoſam*, Daedalum illum implicatiſſimi Atheismi Architectum, & quidem tam ſecante acie, tam valido rationum nervo, ut in Adoleſcente virilis jam tum brachii ad tales pugnas robur admirari ſit, cum ſenſibus *Chriſtianam unctionem* unice redolentibus, quae ex nupera *Diſſertationis* illius lectione recenti adhuc vigore mentem hilarat.

Promotorem egit Cl. *de Volder*, quem a BOERHAVIO noſtro coli, obſervari; ut ipſe viciſſim BOERHAVIUM in oculis, in ſinu, geſtabat, non laeto omnes oculo adſpiciebant.

Habetis fundamenta in ſolido jacta, ad *Theologicam* ſapientiam feliciſſime exaedificandam.

Hanc ut conſummaret *Jac. Triglandio*, *Frid. Spanhemio*, *Joan. Marckio*, magnis Eccleſiae & Academiae Luminibus, aſſiduum ſe dedit.

Illuſtrationes Antiquitatum Hebraicarum ex *Triglandio* inſuper, & *Hiſtoriam Eccleſiaſticam* ex *Spanhemio* avidus combibit.

Theologicum certamen in publice, praeſide eodem *Spanhemio*, ſuſtinuit.

Linguae *Hebraeae*, *Chaldaeae*, *Graecae*, juxta peritus, non *e verſionibus*, ſed ex *Fontibus* ſapere volebat, eumque in finem tam *Hebraeum*, quam *Graecum*, codicem legendo conterebat.

Jun-

Digitized by Google

Jungebat his exercitiis quotidianam Patrum lectionem, ſecundum Chronologiam, a Clemente Romano exorſus, & juxta ſeriem ſeculorum deſcendens: ut Jeſu Chriſti Doctrinam in N. T. traditam, primis Patribus interpretantibus addiſceret.

Horum ſimplicitatem ſincerae Doctrinae, diſciplinae ſanctitatem, Vitae Deo dicatae integritatem adorabat.

Subtilitatem Scholarum Divina poſtmodum inquinaſſe dolebat.

Aegerrime tulit, Sacrorum interpretationem ex ſectis Sophiſtarum peti; & Platonis, Ariſtotelis, Thomae Aquinatis, Scoti; ſuoque tempore Carteſii, cogitata Metaphyſica adhiberi pro legibus, ad quas caſtigarentur ſacrorum Scriptorum de Deo ſententiae.

Experiebatur acerba diſſidia, ingeniorumque ſubtiliſſimorum acerrima certamina, odia, ambitiones, inde cieri, foveri: adeo contraria paci cum Deo & Homine.

Nihil hic magis illi obſtabat; quam quod omnes aſſerant ſacram Scripturam ἀνθρωποπαθῶς *loquentem,* θεοπρεπῶς *explicandam; &* θεοπρέπειαν *ſinguli de-*

fi-

finiant ex placitis ſuae Metaphyſices.

Horrebat, inde Dominantis ſectae praevalentem opinionem, Orthodoxiae modum, & regulas, unice dare juxta dictata Metaphyſicorum, non ſacrarum Literarum; unde tam variae ſententiae de doctrina ſimpliciſſima.

Ipſa Magni & Magnanimi noſtri BOERHAAVII verba vobis annumerata & appenſa ſciatis A. A. H. H. cujus Ego ſanctiſſimos hoſce ſenſus deveneror: meditandum Sapientibus tradens, quantum interioris Medullae iisdem incluſum.

Quid interim excellentem hanc indolem, igne coeleſti inflammatam, ab Animarum cura, cui ſe ſacrarat, ad Corporum traduxerit medicinam, jam tempus eſt, ut ſecundum diverſos, quibus hoc effectum, gradus, exponam.

Qui ſacrilegum cenſebat cruda in ſacram Cathedram ſtudia propellere, jam conſumto ferme in longius curriculum *Academicum* patrimonio, nil honeſtius judicavit, nil ingenuo dignius pectore, quam ſua ſibi induſtria ea procurare adminicula, quae ad optatam Eruditionis & Sapientiae *Theologicae* metam ipſum perducere poſſent.

Mathematica igitur, in quibus potens erat, pollensque, *Lectiſſimis juvenibus tradere* coepit, & primos illos radios fundere, qui tantum deinde

ſplendoris non huic ſolum *Academiae*, ſed univerſo orbi Erudito, infundere deberent.

Id confeſtim ei claritatem cum applauſu & favore concilians, admirabili iſti Amicitiae occaſionem praebuit, qua Vir Illuſtris *Joh. van den Bergius* ad *Reipublicae* & *Academiae* commoda tutanda, promovenda, cumulanda, natus, BOERHAVIUM noſtrum, atque adeo multis magnisque vinculis ſuum, conſtantiſſime complexus eſt.

Nempe, per Ampliſſ. huncce Virum, qui tum Illuſtri conſeſſui Curatorum ac Conſulum ab Actis erat; Eorundem nomine demandata fuerat juveni inclareſcenti provincia, ut *Codices MSS. Bibliothecae Voſſianae*, magno pretio ex *Anglia* ad ſplendidum *Bibliothecae publicae* incrementum comparatos, conferret cum Catalogo, ad cujus indicium animoſiſſime fuerant coëmti.

Singularis diligentia, accuratio, fides, qua id negotii a Noſtro confectum, principibus Viris placuit, ac praeſertim propius inſpecta Virtus BOERHAAVIANA ſic animum Generoſiſſimi *van den Bergii* implevit, ut de Viri Fortunis conſtabiliendis omni ratione ſibi cogitandum duxerit.

Hae ut plus una ancora firmarentur, igneam erectae mentis vim, quam fulminis inſtar pervadere cernebat quicquid tetigiſſet, ad *Medicinae* ſtudia *Philoſophicis* & *Theologicis* adjicienda cohortatur.

Emicuit ergo tandem, tanto hocce Hortatore, in re-

receſſu pectoris deliteſcens adhuc ſemen, & omnibus illis praegreſſis diſciplinis praeparatum, foecundatum, ac matureſactum ingenium *Medicum*, tantum ex ſeſe jubar daturum, quantum orbem necdum colluſtrarat.

Erupit, inquam, maximus ille genius, atque in artis *Aeſculapiae* adyta ſua ſeſe *Minerva* penetrare decrevit exemplo inimitabili, fidemque vix inventuro.

Certe auribus veſtris non credetis, ſi vobis confirmaro, *nullum* a Noſtro *Medicinae auditum profeſſorem, niſi Cl. Drelincurtium, paucis vicibus, paulo ante fata.*

Ab *Anatomia* ergo novum hunc volatum exorſus, ſibimet Dux & Auſpex, *Veſalium*, *Falloppium*, *Bartholinum* diligentiſſime *verſat.*

Corpora brutorum crebro quoque incidit, oculum Geometricum tremulis ſpirantium adhuc animalium viſceribus inſerens.

Interfuit etiam publicis Cl. Nuckii in Theatro diſſectionibus ſedulus.

His ſuccinctus, *Veterum Medicorum Lectionem* ſuo ſibi praeſidio, ductuque, *aggreditur, ſecundum temporum, quibus vixere, ſeriem;* atque *initio facto ab Hippocrate*, quicquid *Graecia* nobilium in *Arte* ſcriptorum aſſervat, cum *Latinis* quotquot extant, accurate perluſtravit.

Digitized by Google

Hoc in curſu *cito deprendit*, poſteriores *omnia bona ſua Hippocrati debere.*

In hoc ſolo ergo diu ſubſtitit. Hunc legendo, excerpendo, digerendo, in ſyſtema redigendo, ac commeditando concoxit; in venaſque infuſum totis hauſit medullis.

Recentiores deinde eodem impetu percurrens, *ſtetit in Sydenhamo, quem pluries, ſemper avidius, excuſſit.*

Arduus hic, ardensque, conatus, quo Arcem *Medicinae* conſcendere ſuismet viribus nitebatur, ad *Chemiam*, Naturae clavim, Miraculorumque ejus internunciam, Noſtrum rapuit.

Hanc dies noctesque exercuit: eaque auſpicatus eſt molimina, quae celſum Arti culmen imponerent.

In *Botanicis* praeterea, illo florentiſſimo paratu Medentum, *ope Florae Hermanniae, quem tamen ipſum non audivit*, inſignes cepit progreſſus, aſſiduae *ſtirpium luſtrationi* in *Horto Academico*, crebros in tesqua, in agros, excurſus adjungens, ut quae in Libris indefeſſus legebat, oculis, manibus, ſenſibus omnibus, anhelans feſſusque contrectaret.

Jam renunciaſſe prioribus votis, in *Medicorumque* caſtra totum tranſiiſſe, abrupto omni nexu *Theologiae*, creditis juvenem BOERHAVIUM.

Fal-

Fallimini Aud. omnium Ordinum Spectatiſſimi.

Altior paternae voluntatis veneratio pium pectus inſederat.

Sanctior quoque ignis erat, quo ſe Deo, *Eccleſiaeque*, dicarat.

Ergo cum omnibus hiſce laboribus, *Mathematicis*, *Phyſicis*, *Chemicis*, *Anatomicis*, *Medicis*, non deſtitit *urgere Theologica.*

His autem abſolutis, prius voluit Medicinae Doctor creari. Dein cogitabat legitime ambire facultatem concionandi, pro impetranda ſtatione Eccleſiaſtica.

Ni verba ipſa, Defuncti manu conſignata, Vobis redderem, incredibilia loqui viderer.

His addere liceat ſimile veritatis pondus ex ore *Illuſtris van den Bergii*, cui venerabundus publicas rependo grates, quod inter alia Vitae BOERHAAVIANAE ſecretiora, hoc ipſum quoque ſanctiſſimum ejus propoſitum mecum communicare dignatus ſit.

Semet ſimul Auctorem, & Cohortatorem, profeſſus: ut ſic *Animarum Corporumque Medicinam* pulchro connubio ſociaret.

Stupetis Auditores Humaniſſimi.

Audite quod vehementius vos attonabit.

Maximo BOERHAAVII animo, pura ac celſa omnia ſpiranti, ſedebat, ante quam Sacris initiaretur *Orationem habere in Academia* in qua diſquireret,

Digitized by Google

Cur olim ab indoctis tam numeroſi, hodie a Doctiſſimis tam pauci, Chriſtiani facti ſint.

Magnitudinem Argumenti, mentisque *Chriſti* ſpiritu plenae, ipſe Titulus declarat.

Quo pacto tantam Materiam exequi valuiſſet, ſentiunt, qui eodem Spiritu animantur.

Ad gradum interea in *Medecina* capiendum *Harderovicum* ſe confert, ibique ipſis *Idibus Julii* 1693. Doctor renunciatur.

Diſputatio habita *de utilitate explorandorum excrementorum in aegris, ut ſignorum.*

E *Gelrica Academia Leydam reverſo accidit inſonti, nec opinanti, aliquid, unde praevidebat impedimenta ambituro Cathedram Eccleſiaſticam.*

Dedi ipſa iterum verba BOERHAAVIANA, quibus, pro exaggeratione virtutis ſuae, velat, & quantum quidem in ipſo, ſepelit, quicquid hujus calumniae: quam valde virulentam fuiſſe facile omnes intelligitis.

Falſiſſimum crimen, tanquam venenatum telum, juveni alta ſapienti, & ſtudia partium, ut Eccleſiae peſtem, palam deteſtanti, intortum, nulli quoque dubitatis.

Sed reſciſcere ardetis, quid tandem illud ſit, tam grave, tam dirum, quod fortem ac conſtantem, ſi quisquam, Virum, a miniſterio *Eccleſiae* devocarit, atque *Medicinae* totum tradiderit.

En

Digitized by Google

En casum! prout eum partim ex ore Defuncti cum alias, tum ante biennium fere, excepi; partim plenius adhuc ex fideli relatione Honoratiss. Fratris Jac. Boerhaavii percepi.

In navicula assidente Nostro, inter quosdam sermo coortus de *Spinosae* sententiis Religionem omnem funditus eruentibus.

Ibi non vera adversus subtilissimum illum & Mathematicum, ut videri vult, Atheum argumenta promi, sed maledicta tantum ac convicia ingeri, quae Zelum proderent ignorantia unice armatum.

Muliebre genus disputandi quum semper improbasset Mascula Eruditio Boerhaaviana, non temperavit, quo minus sedate interrogaret Eum, quem animosius sese inferre cernebat, ecquid unquam *Spinosae Libros* oculis usurpasset?

Tum vero ille ad silentium compulsus ringi, dentes collidere, saevas sub pectore iras coquere.

In angulo, extra conflictum, taciturnus quoque speculator sedebat.

Hic certamen brevi interrogatiuncula compressum dolens, nomen juvenis sibi ignoti, ad aures se vicini demittens, explorat.

Relatum pugillaribus suis inscribit, & mox per omnes hujus civitatis circulos, & sessiunculas, disseminatur, Boerhaavium in *Spinosae* castris militare.

O calumnia! Quis Te pestium teterrimam peperit?

Quis-

Quis Te Terris flagellatricem luem infudit?
Quis Religioſa etiam veſte circumamiciyit?
Quis igne Orci ſuccenſam, Aethereis tamen flammis ardeſcere, male credulis mortalibus perſuaſit?

Sed quo me atrocitas aufert importuni caſus?

Suſtineo me, & BOERHAAVIANO candori hanc viridem in perpetuum necto Coronam, quod exiſtimationis ſuae violatores non placidus tantum tulerit ſemper, ſed etiam *prunis ardentibus capita* eorum *cumularit*; ſic ut interiores Amici dictitare ſolerent, vexandum, raptandum, omnibus modis lacerandum eſſe BOERHAAVIUM, ut ex officioſo, officioſiſſimus, atque in demerendi ſtudia ardentiſſimus efficeretur.

Per mihi mirum interim haec ex vero enarranti accidit, quod quum in *Diſputatione Philoſophica inaugurali*, *de Diſtinctione mentis a corpore*, Arcem ipſam *Spinoſismi* verberaſſet, atque univerſum *Atheismum* diruiſſet funditus, tam inſana criminatio ſanum quemquam adflare, atque a Juvene tantis donis, bonisque, ſeſe commendante, abalienare potuerit.

Factum tamen, & multorum mentes ſiniſtris ſuſpicionibus contactas, atque ſubulceratas, ab illo tempore expertus eſt.

Sic ut conſultum haud duceret, fluctibus illis ulterius ſeſe committere, quum tranquillum haberet portum vitae, in quem plenis velis invehi liceret.

Huc ergo adſpirante Amicorum conſtantium aura, nunquam ſopita, nunquam remiſſa, (*Alpheniun Si-*

Simonis, *van den Bergium*, & *Triglandium* graviſſimos hoſce, ac certiſſimos, ſemper celebravit *Fautores:*) Horum inquam conſpirante favore huc totus converſus, Doctrinarum latifundia, quae tam feliciter in *Mathematicis*, *Phyſicis*, *Anatomicis*, *Botanicis*, exercuerat, animoſius adhuc excolere Noſter, in *Chemiamque* praeſertim ſe immergere; atque ita ad *Hippocraticae Sapientiae* culmen ſua porro *Minerva* adſpirare.

Suſcepta quoque ad ſalutem aegrotantum *Medicinae* praxis: ita tamen ut primordia neutiquam *Galeni opes* deſponſarent.

Nil deſperandum proin Juveni Doctori, ſi dum Limina adhuc frigeant forte, *Muſaeum* calefaciat, & veros ſibi ſapientiae Theſauros, ad exemplum Boerhaavii noſtri, conſtipet, ſuo tempore tanto abundantius foenus reddituros.

Circa hoc tempus, *lautis conditionibus*, *lautioribus promiſſis*, *invitatus*, plus vice ſimplici, *a Viro primariae dignationis, qui gratia flagrantiſſima florebat Regis Gulielmi III*, ut *Hagam Comitum* ſedem caperet Fortunarum, *declinavit conſtans.*

Contentus videlicet vita libera, remota a turbis, ſtudiisque porro percolendis unice impenſa, ubi non cogeretur alia dicere & ſimulare, alia ſentire & diſſimulare: affectuum ſtudiis rapi, regi.

Sic tum vita erat, aegros viſere, mox domi in

Digitized by Google

Muſaeo ſe condere, officinam Vulcaniam exercere; omnes Medicinae partes acerrime perſequi. Mathematica etiam aliis tradere. Sacra legere: & Auctores qui profitentur docere rationem certam amandi Deum.

Ad annum *milleſimum ſeptingenteſimum primum* privata haec vita producta, quum Illuſtr. *van den Bergius* nefas, ut erat, judicans, tantum *Medicinae*, omnisque *Eruditionis*, Sidus *Academiae* non quantocyus inſeri, atque vindicari, communicato cum *Ampliſſ. Alphenio Simonis* conſilio, BOERHAAVIUM compellat, atque quid inter ipſos conveniſſet, aperit.

Ibi Noſter, pro incredibili *Modeſtia*, quae *Sapientiae* ejus pulcherrima ſemper comes adhaeſit, *ambitionem* iſtam, ſic vocabat ſcilicet, *longiſſime* a ſe *amovere*, atque adeo Ampliſſ. *van den Bergium* obteſtari, deponeret iſtam cogitationem, neque ſe in Amico producendo exponeret.

Tu vero, perilluſtris *van den Bergi!* patere, ut per me nunc *Academia* meritiſſimas Tibi grates perſolvat, quod in Celebritatem amica quadam vi prodire coëgeris nimis demiſſa de ſe ſentientem BOERHAAVIUM, atque exquiſita, gravique, Tua commendatione effeceris, ut in locum Cl. *Drelincurtii inſtitutionibus Medicis praelegendis* decreto *Generoſiſſ. Curatorum* & *Conſulum* admoveretur 18. *Maji* 1701.

Munus auſpicatus eſt Oratione *de commendando ſtudio Hippocratico.* De-

Deprenderat, hinc ſecuritatem & oſcitantiam, illinc faſtum & arrogantiam, huic *Artis principi* honorem debitum denegare.

Quin a limpidiſſimis illis Fontibus ſacrata *Phoebo* pectora magnis auctoritatibus, atque exemplis, abduci.

Viri ergo fuit, & quidem Viri Fortis, huic ſeſe torrenti opponere: quique intime jam compertum habebat, graviſſima *Naturae* ipſius *Oracula* in *Hippocrate* reſonare, ſuum eſſe ſenſit, illuc a ludentium ingeniorum commentis genuinos *Medicinae* Alumnos revocare.

Id tanto Doctrinae & Eloquentiae Lumine dicam, an Fulmine, peractum, ut aſſeverare liceat, illum *Parentem Medicorum* in tranquillam poſſeſſionem Regni, unde per corruptores, oppreſſoresque, Artis, detruſus videbatur, ſic eſſe vindicatum, atque reſtitutum, ut aeternam ſibi in Arce ſedem polliceri queat.

Quum autem Noſter *inſtitutionibus Medicis Chemica* interſpergeret *obſervata*, *Hermetica* quoque *Sacra* cognoſcendi cupido vehementior Auditores ejus inceſſit.

Tumultuariis experimentis vagans ad id temporis *Ars*, a BOERHAAVIO lucem tunc & legem ordinatae diſciplinae accepit.

Atque perpetuo deinceps benignam ad arcana Naturae Miracula facem praetulit.

Extorſere etiam Studioſi, acres ſane Flagitatores, ubi ſemel in admirationem Doctrinae ſimul & Doctoris exarſere, ut *ad Hiſtoriam morborum, eorumque curationem,* praeluceret.

Creſcens inter haec Viri Fama, & celebritas, *Groninganae Academiae* proceres advertit; atque BOERHAAVIUS A°. tertio ſeculi ad *Profeſſionem Medicinae* ibi ornandam invitatus.

Noſter, ſuo more, ſimpliciter gratum pro honore oblato teſtatur animum.

Septemviris Academiae Curandae res per Ampliſſ. *van den Bergium*, Conſulum tunc praeſidem, innoteſcit.

Decernitur continuo honorifica aeris annui acceſſio, & *Profeſſio Medica* quae prima vacefieret, (*quinque* tunc erant *Profeſſores Ordinarii*) ea BOERHAAVIO deſpondetur.

Occaſione iſtac *Orationem* habuit 24 *Sept.* ejuſdem Anni, de *Uſu ratiocinii Mechanici in Medicina.*

Obſervaverat in curſu ſtudiorum, partem Matheſeos, quae corporum vires ex mole, figura, velocitate, *Archimedeo* radio metitur, *Mechanicen*, totam in *Medicina* praetervideri.

Quum tamen ob fabricam corporis ad *Mechanismum* contexti, & *Circulum Sanguinis*, ad eaſdem leges decurrentis, non infinitae tantum utilitatis ſit, ſed etiam abſolutiſſimae neceſſitatis.

Animadverterat item, *Mechanices* imperitos, tum ex

ex *Metaphyſica* ſubtilitate, tum ex *Chemica* vanitate, ducibus *Paracelſo*, *Helmontio*, *Tachenio*, aliis, abſurdiſſima principia invexiſſe, indeque ſaevam malorum cohortem ipſi *Medicinae*, malorum depultrici, incubuiſſe.

Haec ſomnia, ac deliramenta *Chemicorum*, ut a pomoeriis *Hippocraticis* depelleret, in *Morboniamque* relegaret, ſimplicitatem *Mechanices*, & *Solidarum* ac *Fluidarum* partium aequabilem legem, oculis fidelibus ſubjecit.

Nobile hocce ſapientiae BOERHAAVIANAE ſpecimen quum hiſce diebus percurrerem, feriit me *Argumentatio* adverſus *Hermeticos* Nugatores inſtituta.

Ea quod inſtar Radii ſolaris detergere queat nebulas, quae oculis nonnullorum offuſae ex *ultima Actione*, de *Medici honore*, *ſervitute:* ubi profundus *Orator* ait, *corpus merſum*, *ſuffocatumque*, *ſolo aëris in pulmones*, adhuc integros, *infuſu ad vitam revocari poſſe:* meae Fidei ac Religionis fuerit, notabilem hanc periodum in lucem promſiſſe.

Poſtquam ergo in ſecunda hac *Actione Academica*, *Mechanismi* ordo ſapientiſſimus in ſolidis, fluidiſque, declaratus, ita de fluidis proſequitur.

Haec illa ſunt, quorum motu VITA, quorum libero per vaſa lapſu ſanitas abſolvitur.

Si liquida in vaſis quieſcant, habemus CADAVER.

Ubi liber humoribus per canales conciliatur MOTUS, corpus VIVUM cernimus.

Mollem conſideremus hominem, qui ſalientis de vulnere cruoris ſpectaculo perturbatus, in animi cecidit DELIQUIUM.

MORTUUM videmus; ſed qualem? in quo cuncta ſolida SANITATI ſufficiunt: adſunt & liquida; ſolus abeſt liquores in gyrum agens motus.

Huic quacumque demum ope concutiantur nervi, ut MOTRIX cordis MATERIES fluat, redit ſtatim, depulſa Mortis imagine, laetior Vita.

Vita non modo; calor, rubor, agilitas, cogitatio, vitalis omnis ſimul redit Actio.

Quid hic fermenti? In Chemicos jam inſurgitur, adverſus quos omnia haec praeſtructa.

Quid ſalis pugnacis? Quid olei, ſpirituſve, naſcitur, aut perit?

Excepto motu neque additur, neque demitur quicquam. Vita tamen amiſſa ipſa redditur. (3)

Jam

(3) Non poſſum quin hic ſub conſpectum dem illuſtrem locum, quem *Inſtitutiones Medicae Cl.* BOERHAAVII *par.* 42. mihi obtulere. *Vitae Humanae nomine, hic loci, ſenſu pervulgato, intelligo eam corporis, quoad firma, fluida, conditionem, quae omnino requiritur, ut* COMMERCIUM *mutuum inter* MENTEM & CORPUS *duret quodam modo, aut queat reſtitui utcumque: nec neceſſe ſit id omnino tolli.* Ad aurificis quaſi ſtateram exacta verba.

Ejusdem Sapientiae illa quae *paragr.* 27, 28. extant: ubi quum *Diſtinctionem Mentis a Corpore, & Utriuſque Vitam, actiones, affectiones, diverſas, mirabili tamen nexu inter ſe conjunctas*, dilucide expoſuiſſet; ita concludit: *Neque ex perfecta Mentis vel Corporis natura, quatenus ab humana intelligentia cognita habetur hactenus, intelligitur ratio, qua agere in ſe mutuo, vel pati a ſe mutuo, queant.*

Si-

Jam manibus ipſis palpatis A. A. H. H. univerſum hocce *Ratiocinium*, quod conciſius ultimae Orationi inſertum, eſſe *Chemico-Medicum*, quo ut nil potentius ad *Nugamenta Paracelſiſtarum* confutanda, ita nil innocentius, & cum veritate conjunctius, dici queat.

Ingemiſco proinde *Vanitati Scientiarum*; quae, quam magis creſcunt, & radiant, tam magis imperitae criminationi patere ſolent.

Pauci nempe intelligunt: omnes judicant, atque decidunt.

Jam novem ferme annos *Lectoris* titulo *Profeſſoria* munia explerat ſummus BOERHAAVIUS, quum Cl. *Hottono* rebus humanis exemto Profeſſio *Medicinae* & *Botanices* ſponte ad Eum devoluta 18 *Febr.* 1709.

Oratio *Inauguralis* celebrata 20 *Martii.*

Ea repurgatae *Medicinae facilem* aſſerebat *ſimplicitatem.*

Ibi eandem, ſed variatis ictibus, incudem tundit, quam praecedentes Actiones reſonare fecerant, adverſus *Metaphyſicos*, & *Hermeticos*, *Medicinae* temeratores.

Hi nempe non ſatis laudis, & admirationis, ſe habi-

Siquidem haec ſola effectuum obſervatione ita conſtant, ut horum allegatio nihil explicet: quin imo ubi Problema Medicum eouſque ſolutum, ut reſtet modo explicandum quomodo fiat haec relatio, (ſcilicet qua Mens & Corpus mutuo in ſe agant, invicemque a ſe patiantur) *ſatisfactum erit quaeſito: quoniam ulterior inquiſitio impoſſibilis: & illa ſolutio Medico ſufficiet.*

Ultimae quoque Metaphyſicae, & primae Phyſicae, cauſae, Medico inveſtigatu neceſſariae, utiles, vel poſſibiles, non ſunt. Ut Elementa, Formae primae, ſeminum, & Motus origo &c. Nil complectius.

Digitized by Google

bituros metuentes, ſi *ſimplicem Artem* Experimentis, & Ratiociniis, naturali evidentia nixis, profiterentur, maluerunt fuco illitam, atque cothurno incedentem Scientiam; quae plus oſtentationis adferret, ut perſonata Theatri Regina videlicet, quam verae dignitatis, ac pulchritudinis, quali *Praeſidem ſanitatis* humanae praefulgere par erat.

Ut autem ea vere magna, & pulchra ſimul, quae *Naturae* genuinam vim, ac faciem, offerunt; ita Magni tantum Viri, *Artem*, qua eminet, *ſimpliciſſimam* ac *facillimam* efficere & velle, & poſſe.

Admirabitur, qui Orationem hanc inſpexerit, ſimplex illud ſigillum Veritatis, quo cuncta quidem Viri ſcripta impreſſa, nullum tamen diſtinctius, eminentiusque, quam haec ipſa *Repurgatae Medicinae facilis ſimplicitas.*

Solidum gaudebat jam *Academia* gaudium, in BOERHAAVIOQUE alterum terris *Hippocratem* adfulſiſſe mirata, Eum vinculis hiſce jucundiſſimis ſibi innexum triumphabat.

Viridarium quoque *Academicum* novo ſuo Praefecto exultans, laetius vernare, atque ſibi promittere quod omnem praecedentem culturam, quantumvis laudabilem, exſuperaret.

Haud ex vano ſane: quum nullus annus abierit, quo non recentibus ridens foliis, vel dicam, ſpoliis undique Terrarum congeſtis renidens, eo excreverit opulentiae, ut conduplicato per ſolum

lum BOERHAAVIUM plantarum numero, divitias ſuas capere amplius non potuerit, ſed ſpatia ſibi ſua conduplicari poſtularit.

Geminam hanc Provinciam dum ſplendide ornat, Annus *Decimus Quartus* ſeculi humeris BOERHAAVII injuncta vidit *Academiae* onera omnia, quae *ſupremum* in ea *Honorem* circumſident.

Grave, & magnificum, munus tanta Fortis, Juſti, Religioſi, in omnemque virtutem Excelſi pectoris robore geſtum, ut ſumma illa Dignitas non BOERHAAVIUM auxiſſe, ſed per Eum ſplendore aucta eſſe, judicaretur.

Accrevit quoque *Medicinae*, eodem hocce anno, grande praeſidium, quum 8. Auguſti, in locum Cl. *Bidloi*, conſtitutus fuit *Collegii practici Profeſſor.*

Scilicet ad incredibilem *Medentum* utilitatem in *Noſocomio Academico* præmonſtrari ſolet bis ſingulis hebdomadibus *Praxis* ſaluberrimae Artis, in aegrotantibus, quos publica ibi liberalitas benigno ſinu fovet.

Hanc *animam* eſſe Doctrinae; Hanc *Hippocraticam* vere *Methodum*, quae *Scientiam* perpetua *Experientia* cumulat, atque conſummat, omnes pleno mihi calculo conſciſcitis.

Una omnium vox concelebrat inſignia incrementa, quae *Sapientiae Medicae*, etiam hac in parte, acceſſere per excellens *Collegarum* par, BOERHAAVIUM, & *Ooſterdykium*, praxeos feliciſſimae miracula ſempiterna.

Digitized by Google

Anno ſubſequente 1715. Faſcēs *Academicos* ſolemniter deponens Noſter, de *comparando certo in Phyſicis peroravit.*

Orationem hanc, interioris Sapientiae medulla refertam, qui decies legerit, nova ſemper dulcedine ſe perfundi, novo fructu mactari ſentiet.

Nempe graviſſimam ibi ſuſtinet diſceptationem, adverſus omnes omnium ſeculorum Philoſophos, *qui pertaeſi lentae indaginis Experimentorum, ad Naturam ſuomet indicio cognoſcendam; & magnifice opinantes de intelligentiae ſuae perſpicacia, hanc ſuper Phyſicis conſulere* maluere, & ex ingenii ſubtiliſſimi promtuario *Elementa ſibi condere*, atque *principia rerum*, quam ingenuam ignorationis dare confeſſionem.

Quicquid Vetuſtas, quicquid Recentior aetas, hoc in genere *Philoſophiae*, quod ab *Experimentis* abit, ut *Magnum* coelo locat, hac Oratione ſidit, atque ad immenſitatem ſupremi Numinis, quae vel ex contemtiſſimo relucet capillo, vaneſcit.

Vincitur rationum lumine, demonſtrationum pondere, *omnium Rerum principia omnino nos latere, ſolis autem ſenſuum obſervatis addiſci illas earum dotes, quae experiundo noſcuntur.*

Aut quae ex his, hac una via exploratis prius, *Geometrici* calculi firmitate eliciuntur.

Quid ergo in tanta puritate ſenſuum, *infiniti Creatoris* adorationem profundiſſimam ſpirantium; Lectorique ſimul inſeminantium; inveniri potuit, quod Ma-

Malignitas, Invidiae germana ſoror, & ſocia fidelis, carperet, roderet, infauſto halitu adflaret?

Nimius ſplendor oculos praeſtinxit; & jam hebes pariter, ac caligans, acies, lucidiſſimo Scripto tenebras imputavit, quas ſibimet imputare debuiſſet.

Intolerandum quoque viſum Profeſſori *Theologo*, ac *Philoſopho*, qui *Carteſianismi unicum* ſeſe *Statorem* ferebat, indeque *Orthodoxiam* Fidei noſtrae Sanctiſſimae ſuſpendebat, *Orthodoxotaton* propterea *Carteſium* perpetuo appellitans: intolerandum, inquam, tali Viro, aliunde meritis ſuis non deſtituto, viſum, quod Boerhaavius Noſter *Carteſium* in *Mathematicis* Maximum ſine controverſia agnoſcens; ubi ad *Phyſica* deventum, *Carteſium in Carteſio quaeri* aſſeveraſſet: atque *Syſtema principiorum* ejus comparaſſet *Herbae ſolſtitiali*; quae eadem, qua excreverat, orbemque *Europaeum* in admirationem ſui converterat, celeritate, iterum exaruiſſet.

Quid non faciat *Philoſophus*, quum Machinam univerſam, quam multorum annorum labore exſtruxit, ad pulcherrimumque, ut putat, faſtigium eduxit, funditus labefactari, ac convelli, cernit?

Ne pro ſua tamen gloriola depugnare videatur, cauſam & gloriam Dei praetexit, atque ut *Theologus* jam clamat, *Actum eſſe de Eccleſia*, *Actum de Fide & Religione*. Non ad *Pyrrhonismum*, ſed ad *Spinoſismum* omnia revolvi, ſi *Principia rerum* ignorentur *in Phyſicis*, & *Carteſius* cum ſuis ſibi *Elementis*, &

Vorticibus, ex quibus Univerſitatem hancce ingenioſiſſime Architectatus eſt, explodatur.

Atquin, O Philoſophe! haec ipſa Fides eſt Eccleſiae: vel herbulam, vel guttulam, vel capillulum, *infinitudinem Conditoris ſui* praedicare.

Quid? An non haec ipſa Dei vox eſt, cum alibi reſonans in *verbo Revelationis*? de quo prudentiſſimus Orator diſertim commonuit: tum praecipue in *Libro Jobi cap.* 38. univerſo: ubi ſuperficiem tantum *Naturae*, & totius *Phyſices*, a Mortalibus attingi poſſe, omni granditate verborum, ac ſententiarum, ab ipſo Creatore pronunciatur, & inculcatur.

Plura nunc non addo: ſed dum *Manes* BOERHAAVIANOS ab indigna, & temeraria, aggreſſione vindico; Defuncto jam Aggreſſori, quicum mihi collegii jura interceſſere, ad exemplum Magnanimi noſtri BOERHAAVII, parcam.

Citra piaculum tamen ſubticeri nequit, & ſacrarium Sapientiae ſuae pollutum cenſuiſſe *Muſas Franequeranas*, tum, quum res contigit: & brevi poſt, expiatum utcumque crimen, invitoque Noſtro procuratam ab Illuſtribus illius Academiae Curatoribus deprecationem, ac palinodiam.

Gravior etiam oblata ſatisfactio eſt.

Reſcriptum a BOERHAAVIO, accipere ſe quod offerretur. *Satisfactionis* ergo *graviſſimae* loco ſibi futurum, ſi Cl. *Theologo* nihil amplius moleſtiae ex hoc negotio crearetur.

Enim

Enim vero tanti fuit indigniſſime violari BOERHAAVIUM, ut ſpeculo nitidior Viri virtus eluceſceret; Eruditisque omnibus Exemplum praeberetur, quo pacto adverſarios vel calumniantes ulciſci debeant, ac Coelo dignum de iis reportare triumphum.

Eodem hoc anno 1715. *Academia Scientiarum in Galliis*, quae Regalem munificentiam Magni Fundatoris magnificentia rerum geſtarum aequat, miſſo ad BOERHAAVIUM diplomate, Ejus in *Botanicis Phyſiciſque* commercia ambivit.

Quum autem Illuſtriſſ. Comes *Marſilius* A°. 1728 vita exceſſiſſet, ſurrogatus tanto Naturae Veſtigatori Noſter, *Socii peregrini* dignitate in eodem illo ſplendido nobilium ingeniorum conſeſſu auctus eſt.

Conſimilis honos biennio poſt A°. 1730. maximis Viri meritis delatus a *Societate Regia Londinenſi*; cujus item Acta & Geſta utrumque polum implent.

Nempe *Collegia Honoratiſſima*, quae quicquid ubique fulget, ac praecellit, ſibi vindicant, ex vero judicarunt, & ſplendori Celebritatis, & lumini Inventionum ſagaciſſimarum, aliquid defuturum, niſi tantum hocce Sidus Eruditionis & Sapientiae Illuſtribus ſuis Choris inſertum viderent.

Nec minus in ornando noſtro *Procerum Academiae* cura vigilavit.

Deceſſerat A°. 1718. Cl. *Le Mortius Medicinae & Chemiae* Profeſſor.

Ei in *Chemicis* ſucceſſor datus BOERHAAVIUS, ut ars

Hermetica, ad tantum jam nitoris auſpiciis Ejus provecta, adhuc laetior eniteſceret, & potens haec Naturae clavis, arcanorumque ejus fida interpres, rubiginem penitus abſtergeret.

Novum munus ſuſceptum die 21. Septembris.

Ei accommodatiſſima habita Oratio, de *Chemia errores ſuos repurgante.*

Materiam a finibus *Eloquentiae*, quin *Eruditionis* ferme, antea ſecluſam, verbisque horridis, atque ipſa *Vulcani* officina fuliginoſioribus, circumfuſam, incredibili amoenitate & doctrinae ſuae, & facundiae, ita hilaravit, ut nihil vel ad ſuavitatem jucundius, vel ad dignitatem illuſtrius, dari queat.

Certe vel invidia ipſa fateatur neceſſe eſt, BOERHAAVII ingenio, induſtriaeque, unice deberi, quod & amabile nunc factum ſtudium hocce, & ad laudem ſolidae rerum cognitionis commendabile, tam laete efflоruerit, ut ad *Medicinae*, & *Phyſices*, adyta perrimanda, machinis *Archimedis Vulcani* fornacem adjungendam eſſe, nemo amplius dubitet, ſi modo fervido operi prudentia *Minervae* praeſediſſe reperiatur.

Inter *Academicas Actiones*, in quibus recenſendis verſor, inſignem quoque locum occupat triſte, ſed pium, & religioſum, Officium illud Honoris & Amoris, quod 22. *Sept.* 1721. ex Decreto Rect. & Sen. Acad. perſolvit BOERHAAVIUS Honoratiſſimo Collegae *Bernardo Albino*; Principi Medico, Magno Magni noſtri

ſtri *Albini* parenti. In tholo immortalitatis ſuſpenſa Utriusque Nomina, cum Illius, cui tam ſplendidum parentationis munus debebatur, tum Parentatoris, qui id tanta cum dignitate, ac gravitate exequi valuit, ad poſteritatis ſempiternam memoriam ac venerationem, ſociata gloria fulgebunt.

Dum tot, tantisque, functionibus totum ſe impendit Noſter, valetudinis non incurioſus, ſed, dicere fas ſit, prodigus, & nimis ferreo corporis robori fidens, dirus longumque duraturus Eum Morbus invaſit, medio fere Auguſto Anni 1722.

Per quinque Lunas lecto inde immobiliter adfixus, immanes cruciatus exantlavit.

Atrocis Morbi Hiſtoriam, & miraculoſam ferme ſanationem, infra dabo.

Nunc eum tango tantum, quod ſaevum malum, una cum altero, quo implicitus fuit Anno 1727. ex eadem laborum intemperantia, quum recidivo impetu incumbere minaretur A°. 1729. Noſtrum compulerit ad *Botanices*, & *Chemices*, publicam curam deponendam.

Honeſtam, & laudibus, praemiisque omnibus, quae ingentibus Viri factis, meritisque, congruebant, cohoneſtatam miſſionem comitatus eſt *ſermo Academicus*, 28. Aprilis ejusdem Anni pronunciatus.

In eo conſpectum Vitae & Rerum pandens Ipſe, gravitatem hilaritate ita condivit, ut recenti jugiter voluptate, quin admiratione Genii incomparabilis, Lectorem de-

demulceat. *Socratici* mellis & leporis ſpecimen unicum, velut *Phidiae* ſignum in arce *Minervae* dicari meretur.

Cunctis Actionibus celſius aliquid praefert noviſſimus *Sermo*, qui *Honor Medici Servitus* inſcribitur.

In eo, Sceptra *Academiae* iterum ponens A°. 1731. ſe ipſo major proceſſit.

Cernas ibi Virum eo enixum *Scientiae*, & *Experientiae*, quo maximis ingenii humani viribus, maxima ſemper diligentia exercitis, eſcendi poteſt, ex illa ſublimi ſpecula *Sapientiae Mathematicae*, *Philoſophicae*, *Medicae*, profiteri, clarisque documentis demonſtrare, *Socratis* inſtar, *Nihil*, *Nihil* eſſe, quod *Sciatur* ab homunculis.

Nihil, quod vel ab Experientiſſimis efficiatur in malis morbisque profligandis.

Artem conſummatiſſimam, eſſe tantum *Naturae* pediſequam.

Verum & ſummum Medici Honorem eſſe, potentiſſimae & unicae iſti Medicatrici *fidelem* ſeſe *Servulum* praeſtitiſſe.

At quaenam, roget quis, Natura haec?

Caveat, quisquis ille, malus fiat, de Viro bono mali quid ſuſpicando.

Deum, Deum ille Naturae Creatorem, Conſervatorem, Moderatorem abſolutiſſimum, atque hujus *Medicatricis potentiae* Auctorem unicum intimis plenisque ſenſibus ita in Oratione hac deveneratur, ut gloriae ſuae coronam ad pedes Supremi Numinis

Digitized by Google

nis deponere Noſtrum voluiſſe, liquido apparet.

Legite A. H. relegite, Muſaeis veſtris redditi, divinas plane voces, ac ſententias, ex mentis Deo plenae penetrali profectas, & plura quidem verba apud alios, ſed nuſpiam graviora pondera Vos repeririſſe fatebimini.

Unum eſt, in quo a quibusdam adhaeſum, quibus BOERHAAVIANA ſcripta minus explorata.

Eſt hoc Exemplum illud, quod pag. 19. 20. poſitum *de ſuffocato ſub aqua*, *cui*, *nondum mora corrupto*, *ſi in pulmones refuſus fuerit aër*, *vita reddi queat.*

Atquin, nihil aliud ibi intenditur, quam quod in *Oratione de Mechanismo corporis* jam inculcatum, atque meridiana in luce collocatum fuerat.

Ut autem ibi *Factatores Chemicos ex gyratione ſanguinis*, *veram imaginem perpetui mobilis* repraeſentante, confutat; ita in hoc *Sermone* ex eadem vitae animalis rotatione mirificentiſſima, cujus *Origo*, & *Motrix Virtus* ſoli *Deo*, *Sapientiſſimo*, *potentiſſimoque*, *Naturae Conditori*, perſpecta, confirmat atque adſtringit, nihil aliud perito Medico relictum, quam ut qui ne unicam quidem ſanguinis guttam omni Artis ſuae efficacia producere valeat, Naturae imperia accipiat, non autem ſuas Ei ex *Metaphyſica*, vel *Phyſica* perverſa, detortas leges imponat.

Audite, Audite, periodos cedro lini dignas.

Eja vero unum cogamus in corpuſculum ſeculorum inventa omnium; eximia probatiſſimorum Artificum molimina.

Mechanici, Hydroſtatici, Hydraulici, Phyſici, Anatomici, Chemici, Medici, conſcribantur!

Poteruntne hi guttulam conficere roris, quo inſuccantur oculi, vel narium ambages? &c. &c.

Palam ajo, horum nihil conſore.

En panem! en vinum!

Coacti in conciliabulum Sophi parent inde cruoris unicam particulam.

Fruſtra erunt &c. *Quo fiat ſalutaris gutta humoris, myriades variorum canalium laborant.*

Milleni advolant indigenae humores.

Unus ſi fuerit officii negligens, gignetur ſuccus, ſed non Naturalis. &c. &c.

O mortales Deum adoretis qui conſiſtentia, & fluida, unam in fabricam ita compoſuit, ut Ejus tandem unius poteſtate perditis ſimillima parare valeat; omni vero alteri cauſae id reliquit prorſus impoſſibile.

Nihil cumulatius, Religioſius nihil, dici, vel cogitari, poſſe, mecum omnes agnoſcitis.

De cetero *mentis immortalis vitam* ſolvi neſciam, a *Corporis Vita*, & *vitali ſanguinis circulo* tam diſerte ſemper in omnibus ſuis operibus diſtinxit BOERHAAVIUS, atque tam curate etiam hoc in Sermone *pag.* 8. diſcriminat, ut unquam a quoquam hic obhaeſum fuiſſe, credi non poſſet, niſi ſuſpiciosum illud, unde talia exiſtunt, atque emergunt, a pauciſſimis Mortalibus omnino abeſſe, Experientia publica conſtaret.

Illae-

Illaetabilis hicce Fomes, quem defectus caritatis generi Humano inſeminavit, in ſcintillas ſua ſponte promtus, tunc ferme ubi aliquid profundum, profunda mente conceptum, atque vulgarem cogitationem ſuperſcandens, objectum eſt, non temperat quo minus in flammulam proſiliat; niſi vel rara indolis nobilitas, vel Gratia victrix, malum commune domet, atque extinguat.

Sed altior nunc me curſus vocat.

Viri immortalia merita illuſtriore in conſpectu locari poſtulatis.

Ardetis in ſublimi Arce *Eruditae Sapientiae*, & *Gloriae*, cernere BOERHAAVIUM, ſtipatum pulcherrimo illo *Scientiarum* choro, quarum principatum ei unae omnium voces, mentesque, deferunt.

At qui, quaeſo, vos *Oratio* eo eveheret, quo ne *Cogitatio* quidem mea pertingit?

Latifundia *Mathematices*, *Botanices*, *Anatomiae*, *Chemiae*, cum *tribus* ſuis *Regnis*, nunquam adſpexi.

In Medicinae *Theoreticae*, & *Practicae*, ne *Atria* quidem oculum immiſi, nedum ut *Adyta* introſpexerim.

Phyſicam Philoſophiae ditionem, quae *Experimentis* ſubnixa, ad culmen, magnorum Virorum conſociatis operis, humerisque, attollitur, procul adoro.

Hiſtoriae Naturalis extremi tantum fines mihi utcumque cogniti.

Quid ergo *Laudator* efficiat, qui ſe *Materias*, un-

Digitized by Google

de uberrima *Laudationis* ſeges efflorescit, profunde ignorare fatetur.

Ut tamen, quantum tenuitas mea dat, eo Vos ſubſequar, quo jam dudum Veſtra Vos ſublimior cogitatio rapit, permittite aliquid praemuniam, quod *Baſin* ſaltem oſtendat, cui innixa *Eruditionis* & *Laudis* BOERHAAVIANAE monumenta, Invidiam ipſam evicerunt, atque gratiſſima temporum memoria creſcent, ac corroborabuntur.

Regnavit ſemper inter mortales, &, quam diu ſecula volventur, regnabit, *geminum* Scientias tractandi, colendique, *principium*, toto coelo diſparatum, atque non minore diſcidio diremtum, quam quod lucem a caligine ſejungit.

Prius radius eſt, a Patre luminum profectus, & emiſſus.

Poſterius ſcintilla ex humani ingenii igniario excuſſa.

Prius ſimplex, rectum, conſtans, ſui ſimile.

Poſterius multiplex, tortuoſum, inconſtans, varium.

Prius vitam humanam vera luce colluſtrat: ejusque commoda, opportunitates, felicitatem, fundat, firmat, ornat.

Poſterius inani ſplendore oculos praeſtringens, fumum rebus inducit, & caliginem.

Prius perennem habet creſcendi vigorem, qui lactior ſemper, nitidiorque, ſe efferat.

Poſte-

Digitized by Google

Posterius sola vanitate turgens, quam magis crescere videtur, tam magis decrescit, instar *Bullae*, quae in admirabilem, & jucundis coloribus variegatam, magnitudinem inflata, tandem crepat, in auraſque semet dissipat.

Prius puro igne cultores suos accendens, efficit modestos, sobrios, demissos, vere sapientes.

Posterius turbida flamma adflans simul, simul inflans, reddit immodestos, praefidentes, superbos; atque imaginaria sapientia deludit.

Hinc gemina semper omnibus in Doctrinis *Schola*, altera Veritatum Propagatrix, altera Errorum Seminatrix.

Accidit etiam sat crebro, ut unus idemque disciplinarum sectator, una in parte scientiae suae puris, fidis, firmis, principiis insistens, *Sanioris Scholae* sese praestet Alumnum: in alia vero parte *alterius* illius *Scholae* placitis sese permittat.

Vidit certe Orbis Eruditus consummatissimos *Mathematicos*, & *Geometras*, qui in *Physicis* praecipites iverint, *Naturam* rerum non *Experimentis*, & *Ratiociniis*, ex *Experientia Mathematice* eductis, vestigantes, sed eam sub ditionem ingenii, & imaginationis suae, subjungentes.

Stupuit Resp. Scientiarum *Chemicos*, ipsa ad penetralia Naturae admissos, qui tamen fumosis, vertiginosisque, conceptibus *Naturam* ipsam temerarunt, & *Medicinam* infinita vanitate impleverunt.

Digitized by Google

Rari ſemper, qui quas calluere Artes, caſte per omnia, pureque, coluerint: atque ex ſimplice illo ac ſolido principio Sapientiae, quod ſuperius delineavi, promoverint.

Inter hos Phoenices, & Terris divinitus donata Lumina, fulgere BOERHAAVIUM, & principem quendam gradum occupare, nemo non agnoſcit.

Aequat ille, in multis etiam exſuperat, Maximorum Virorum Aeternitati ſacrata Nomina, & Decora.

Altius BOERHAAVIO ſuo ſeſe effert *Medicinae Conditor Hippocrates*, quam ipſo *Sydenhamo*, *Magnae Britanniae* Oraculo.

Qui *Neutonum* perſpicaciſſimum, eundemque modeſtiſſimum *Philoſophorum*, ſibi vindicat *Socrates*; BOERHAAVIUM propius adhuc ſibi adjungit.

Palma, qua *Caeſalpinos*, *Moriſinos*, *Hermannos*, *Malpigios*, *Tourneſortios*, *Vaillantios*, redimivit *Ars Herbaria*, BOERHAAVII etiam tempora praecingit.

Anatome ſuis *Veſaliis*, *Falloppiis*, *Euſtachiis*, *Harvaeis*, *Bartholinis*, *Ruiſchiis*, BOERHAAVIUM inſerere nulla dubitat.

Quid *Chemia?* nonne & *Ordinem* diſciplinae excellentioris, & *Repurgationem* ab innumeris faecibus, & *Lucem* amoeniſſimae gratiae, ſe BOERHAAVIO debere fatetur, eoque nomine Eum reliquis ſuis cultoribus antiſtare jubet?

Quicquid denique in *Matheſi*, in *Phyſica Experimentali*,

ſi, praeluſtre, id adeo BOERHAAVIUM non obumbrat, ut a magnitudine Ejus praeumbrari poſſe videretur, ſi Aſtra umbram offunderent, ac non potius communem Aſtris accenderent claritatem.

Fidem pleniſſimam hiſce adſtruunt aere perenniora Viri ſcripta, in quibus cum omnis *Sapientiae Medicae*, *Phyſicae*, *Botanicae*, *Anatomicae*, *Chemicae*, *Mathematicae*, medulla, incomparabilem *Modeſtiam* aetas praeſens mirata fuit, amavitque: volvenda ſecula adſtupebunt, ac coelo ferent.

De his ſi quae excellentia eorum & dignitas requirit, audire vos voluiſſet Cl. Defunctus; non mihi profecto *Provinciam* hancce delegaſſet, etiam hac in parte Modeſtiſſimus Virorum.

Sed tum Doctrina, tum Experientia conſummatiſſimum *Medicum*, Eundemque potentiſſimum Oratorem, *Ooſterdykium* noſtrum, ſibi *Laudatorem* delegiſſet unicum.

Si autem quae mea aſſequi potuit exilitas, de BOERHAAVIANORUM *operum* praeſtabilitate, ediſſererem, longa, & taedioſa, vobis Audientia foret exſudanda.

Compendii faciam itaque: quaeque dicturus ſum, minus nihilo ut ipſe reputo, ſic periti ſpero aequi bonique conſulent.

Anno 1707 evulgatae *Inſtitutiones Medicae*. Deinceps praelum quater exercuere, atque in completiſſimum excrevere corpus.

ad-

Digitized by Google

Admirantur in eo artis principes ſuperiorem vim mentis perſpicaciſſimae, quae ea ordinis exquiſitiſſimi & Lege, & Luce, doctrinam late fuſam revinxerit, atque illuminarit, ut nihil elimatius excogitari queat.

Admirantur brevitatem, nervi, ac medullae, refertam, tamque concinnam, ut nullum non verbum loco poſitum, nullum non ſingulari pondere praeditum, reperiatur.

Adhibita quoque ſumma cura, & cautio, ut a principiis hiſce ſimpliciſſimis procul abeſſet, quicquid opinandi luxuries ex *Metaphyſica*, & *Chemia*, agmine facto invexerat in Artem; atque paſſim obviam itum *Damnoſis Hypotheſibus*, *dogmatibusque plenis periculi*, quae Medelam converterant in Corruptelam generis humani.

E contrario fide religioſiſſima vigilatum ubique, *ut pro vero traderetur nihil, quod rerum Experimentis, aut Ratione invicta, haud eſſet compertiſſimum.*

Praeſtare hoc potuit is, cui ex vero *Mathematici Medici* nomen & decus additum; quippe quo neminem unquam vel ſolertius & peritius, vel ſagacius & ſubtilius, vel prudentius & circumſpectius, *Artis Theoriam* tractaſſe, atque *Anatomicis*, *Phyſicis*, *Chemicis*, *Mechanicis*, & *Mathematicis*, fundamentis, ac firmamentis, conſtabilitam dediſſe, ſciſcant quibus incorrupta ſuper hiſce judicia ferre conceſſum.

Splendidiſſima haec Fax, non ſolum *Europam* inde

de a principio ſeculi volventis colluſtrat, ſed etiam alio ſub ſole calentes Terras illuſtrare coepit, atque imperium *Othomannicum*, ſub auſpiciis ſupremi ſacrorum Antiſtitis, ad BOERHAAVIANUM nomen erexit, praeclaro opere per Eum, una cum *Aphorismis*, in *Arabicum Sermonem* eleganter, & concinne, converſo; atque ad *Typographiam Conſtantinopolitanam* exercendam jam parato.

Ante quinquennium examinavi ſpecimina verſionis, BOERHAAVIO transmiſſa *Conſtantinopoli*, atque *Archetypo* fideliter reſpondere deprehendi.

Theoreticae parti *Practica* adjecta Anno 1708. complectens *Aphorismos de cognoſcendis & curandis morbis.* Quater deinceps praelum liberarunt.

Virtutes quae in *Inſtitutionibus* ſplendent, admirabilius adhuc hoc e Labore relucent.

Quicquid in *Hippocrate* eximium, emedullatum, ſolidum, Experientia fida, ac firma, coctum, id ſtilo *Hippocratico* hic expoſitum, atque ita digeſtum, ut compendioſius, idemque medulloſius, quidquam reperiri in Orbe Erudito negent, qui Sacra haecce tractant.

Mera Oracula Naturae & Artis ex hac veridica Cortina reſonare experiuntur, quibus tam felicibus eſſe contigit, ut ſenſus ad ea excipienda excitos, atque exercitatos, adferre queant.

Hoc forte ſolus praeſtare, ſaltem ita praeſtare, poſt *Hippocratem*, valuit is, qui ab *Hippocrate* ſtudia *Medicinae* ſuomet ductu auſpicatiſſime exorſus, & verba & ſenſa

principis *Coorum* vivis infixerat medullis.

Adjunctum ſummo cum dilectu, ac circumſpectu, quicquid vel reliqui Veteres, *Graeci* pariter ac *Latini*, vel *Arabum* flos honosque, vel Recentiorum exquiſita copia, fidum habet, ac commendabile.

His magnum inſuper lumen adfuſum ex inventis Nobiliſſimis, quibus Artium & Scientiarum pomoeria a maximis ingeniis feliciſſime ampliata ſunt.

Horum ut nihil non BOERHAAVIO noſtro exploratum, intimeque compertum; ita promtum Ei fuit cunctos hoſce Radios, undique in unum collectos, incomparabili huic Operi intertexere.

Omnibus hiſce cumulum imponit optima illa Dux, & Magiſtra, Experientia, cui ut ſoli ſacramentum dixerat Noſter; ita nihil hic Medentum Filiis oblatum, quod non ſigillo hocce ſibimet ante confirmarat circumſpectiſſimus Veritatis Indagator, idemque ſcrupuloſiſſimus Examinator.

Cum *Aphorismis* intime connexus eſt Libellus *de Materie Medica, & Remediorum formulis.* Prima editio comparuit anno 1719. poſterior 1727.

Omnis ille medendi apparatus *Aphorismorum* ſectionibus, & numeris, ita illigatur, ut nemo *Formulas* haſce comprehendere queat, niſi qui *Doctrinae* interiorem ſenſum ante ex *Aphorismis* imbiberit.

Nihil ergo hic reperiunt patellarii illi Medicatores, qui panchreſtis quibusdam medicamentis, & tralaticiis praeſcriptiunculis, in perniciem generis hu-

Digitized by Google

humani graſſantur, quo impune occidere, atque ſecundum Artis regulas amandare ad plures queant improvidos illos mortales, qui Capita ſaepe ſua iis permittunt, quibus ne Pedem quidem calceandum committere deberent.

Ad *Botanices* Spartam ornandam anno 1710. in lucem datus primus *Index Stirpium*, quae, ad Profeſſionem iſtam admoto Noſtro, in *Horto Academico* numerabantur.

Ei anno 1720. ſucceſſit *Alter Index*, in duas partes diſtinctus, & nitidiſſimis Tabulis illuminatus.

Ipſum tunc Viridarium ſtupuit, conduplicatam ſibi, tam brevi temporis ſpatio, plantarum exquiſitiſſimarum ſuppellectilem; quin eo ſe induſtria BOERHAAVIANA, divitiis undique comportatis, enituiſſe, ut ſupra omnes Hortos publicos caput extollere poſſet, exiguo in Agello arctans, ſpectandumque offerens, quicquid *Europa*, *Aſia*, *Africa*, *America*, ſpectabile ferunt.

Biennio poſt, 1722. emiſſa *Epiſtola ad Cl. Ruiſchium*, qua *ſententiam Malpighianam de glandulis*, quae revicta cenſebatur, novo Argumentorum lumine ac robore *Victricem* ferme reddidit, *Malpighio* ipſo, quanto in *Anatomicis* Viro! fortior, feliciorque, ad opinionem iſtam adſtruendam.

Scriptionem qui legerit, praeter reliquum fructum, oblectari ſe ſentiet mirifica quadam liberalitate, & amoenitate amicae diſſenſionis, vinci juxta ac vincere paratae.

Digitized by Google

Haec ſi colliſiunculas temperet Eruditas, & caritas fovetur, & gratia mutua, meo quidem ſenſu, judicioque, accenditur: quod ad nobile par ſolo Veritatis amore diſſidentium, qui tandem cumque Victor diſcedat, paria gaudia redundent.

Anno 1724. comparuit *Atrocis nec deſcripti prius Morbi hiſtoria*, quo abſumtus *perilluſtris Baro Waſſenariae, Dynaſta Roſenburgi, Reipublicae Archithalaſſus.*

Ea ad *Medicae Artis leges* tam diſtincte, & curate *conſcripta*, ut Exemplum inde perfectiſſimum peti queat, ad quod id genus deſcriptiones ſint conformandae, ſi Medentum conſiliis, *Phari* inſtar, inter caecas, ignotasque, ſyrtes, faculam allucebunt.

Anno 1725. luculentiſſima Editio procurata *Operum Anatomicorum & Chirurgicorum Andreae Veſalii.*

Praemiſſa praefatio Vitam excellentis hujus *Anatomiae* inſtauratoris artifice penicillo pingit.

Habet quod ſibi gratuletur, & in vita, & poſt mortem, non digniſſime habitus, laceratusque ab Editoribus, hanc ſibi curam a Magnis ejus Admiratoribus, iisdemque Artis principibus, BOERHAAVIO, & *Albino*, noſtris, impertitam: quae operi, per ſe immortali, perennem lucem, ac gloriam, circumdet.

Anno 1728. prodiit *Altera Atrocis rariſſimique Morbi hiſtoria*; cujus violentia inſuperabilis *perilluſtrem Marchionem de Sancto Albano* eliſit, atque decem ſolidos menſes ſuffocatione ineluctabili conflictatum, infini-

finitos inter dolores, angoresque, extinxit.

Quod cuiquam accidere poteſt, id omni poteſt.

Ait vetus poëta. Sed quis ſperaſſet *Atrociorem* adhuc vim eliſionis immenſa mole opprimentis, contundentis, conterentis, in Te, in Te, BOERHAAVI, deſaevituram!

Idem annus dedit *Tractatum de lue Aphrodiſiaca*, quae praefixa *Auctoribus* ea de peſte editis eodem tempore.

Anno 1731. Orbis Eruditus locupletatus ſplendidiſſima Editione *Aretaei Cappadocis, de cauſis ſignisque Morborum, eorundemque curatione.*

Non capiunt anguſti, quibus claudor, cancelli, ut quicquam nunc commemorem, vel de laudatiſſimo hocce Sapientiae *Hippocraticae* aemulo, & ſtatore: vel de *Philologico* aeque, ac *Medico*, apparatu, quo nunc nitidiſſimus proceſſit; vel de ſocietate laboris & honoris, in quam venit Vir Experientiſſ. *Johannes van Groeneveld* JCtus, & *Medicinae* Doctor, idemque Civitatis hujus Senator, & Judex Ampliſſimus.

Convenerat inter Viros affinitate & ſtudiis conjunctos, ut *Graecorum Medentium Bibliothecam* complerent, & *Hippocrati Galenoque* induſtria *Charteriana* unum in corpus redactis, adjungerent *Chorum* minorem reliquorum, qui de *re Medica Graece* conſcripſerunt.

Praeclara conſilia ut laudabunt, quibus Sacra haec-

ce cordi; ita dolebunt, *Artem longam*, *vitam brevem*, pulcherrimos quosque Mortalium conatus intercipere ſolere.

Sequens annus 1732. dedit magnificentiſſimum opus, *Elementa Chemiae*. Monumentum regali ſitu pyramidum altius! quod *Natura* & *Ars* ſuismet manibus condidiſſe, BOERHAAVIOQUE erexiſſe videntur.

Quibus in haec *Adyta* penetrare datum, admirantur, & praedicant, jucundum connubium *Chemiae*, & *Phyſicae*, mutuam ſibi lucem amiciſſime ferentium.

Praedicant *Analyſin* principiorum naturalium in vegetantibus & animantibus, ſubtiliſſime ad Experimenta & Ratiocinia *Mathematica* exactam, cum *Analogia* eorundem admirabili; inde redundante.

Praedicant caſtigatum illud, & elibratum, examen Virium *Medicatarum* in *Chemicis* productis, per quod Cuſtos ſalutis humanae *Medicina*, ventoſis *Spagiricorum* jactationibus, & illuſionibus, liberata, *Chemiae* ſociam dextram jungere audet; ejusque auxilium, praeſidiumque, efficaciſſimum, ſibimet gratulatur.

Praedicant viam Regiam, per *Regnum Vegetabile*, *Animale*, & *Foſſile*, tam ſplendide emunitam, ut quae antea impervia erant, penitusve inacceſſa, ſeſe e facili nunc adiri patiantur, atque incredibili quadam amoenitate etiam minus peritos detineant, atque oblectent.

Admirantur immenſos, & plus quam Herculeos, labores, in Arcanis hiſce e profundo Naturae ſinu eruendis exantlatos. Ad-

Digitized by Google

Admirantur denique tantam vim ingenii, doctrinaeque, ne tantulum quidem ſibi arrogare; ſed quodammodo veniam petere, quod de abditis hiſce Sacris ſententiam ferre, atque publicare, ſuſtinuerit.

Amabilem characterem Viri vere Docti! quum qui jus habet decidendi, de eo non ſolum remittit, ſed eo ſeſe penitus exuit; ne infra ſe poſitos gravet, uratque: vel potius, ne quod ſoli *Veritati* competit, ſibi adſciviſſe reperiatur, qui ſuae perſpicaciae, & *auctoritati*, aliquid accredi poſtulat.

Si qui Eruditi ſalutantur, & magni Magiſtri, hunc animum induere poſſent, O quanta foret ſcientiarum cum gloria, tum felicitas! quam placidus, & ſerenus, ſtudiorum ſimul, ac vitae in iisdem conſumtae, curſus! ubi ſapientiam profeſſi viri, modeſta ſui demiſſione alii alios provocarent, & ſuaviſſimis hiſce nexibus ſeſe mutuo demereri, atque devincire, ſtuderent.

Ad *Chemiae* quoque ditionem pertinent *Obſervata de Argento vivo*, perſcripta *ad Societatem Regiam Britannicam*: nec non *Academiam Regiam Scientiarum Gallicam*; anno 1734.

Splendidiſſimam omnibus hiſce coronidem, & acceſſionem, imponit *Zwammerdammianum* illud *Opus*, quod quia immenſitatem Creatoris per mirabilia infinitae ſapientiae, & potentiae, ex Inſectis demonſtrat Apodictice, *Biblia Naturae* inſcriptum.

Quid Boerhaavio debeatur in hoc incomparabili The-

Theſauro a blattis, tineisque, vindicando, is demum perſentiſcet, qui vere Divina haecce ſpectacula omnipotentiae, e minimis vel magnificentiſſime reſplendeſcentis, perluſtravit.

Gratia quoque perennis proſequetur Clariſſimum noſtrum *Gaubium*, ejuſque imaginem cum BOERHAAVIANA huic *Zwammerdammiae Minervae* includet, quod exquiſitiſſima *Latinitate* ad Eruditi orbis commoda conveſtiverit, & illuſtrarit, Materias veteri *Latio* inviſitatas penitus, atque inauditas.

Per *Laboris* aedem in Templum *Honoris* intrari, ſcite pinxit Vetuſtas.

Ut nemo BOERHAAVIO vixit laborioſior, ita nemo honoratiorem vitam exegit.

Domus Ejus Templum fuit *AEſculapii*, artisque *Apollineae* ſacrarium: unde *Hippocratica* quotidie *Reſponſa* edebantur; in ſolatium innumerae illuc undique nationum, regionumque, confluentis multitudinis.

Nemo illuc acceſſit, quem non ipſe vultus venerabilis recrearet, ac *Socraticum* illud, *Neſtoreumque*, mel oris facundiſſimi, laeta velut ſanationis aura adflaret.

Quid dicam de Conſultationibus per Literas expetitis a Regibus, Principibus, aliis Perſonis, dignatione Eminentibus?

Quid de nimbis Epiſtolarum undique glomeratim advolantium?

Quid de honorificis ſalutationibus, & officiis, qui-

quibus eximie cultus fuit etiam ab iis, quibus ſummus honor, & cultus, deferri ſolet: quibusque

- - - - - - - *Foribus domus alta ſuperbis*
Mane ſalutantum totis vomit aedibus undam.

Hippocratem noviſtis a Magno *Perſarum* Rege evocatum; ut *adorantium* ſcilicet turbam augeret. BOERHAAVIUM illo Major & Regnis & Virtutibus Dominator, invictiſſimus *Ruſſorum* Caeſar, *Petrus Alexandri* A°. 1715. ipſe adiit, atque nocte in *Liburnica* ante *Academiam* tranſacta, a quinta matutina ad ſeptimam fere, ut omnes *Artes* & *Doctrinas* Imperatorio pectore clauſas gerebat, docta cum Noſtro colloquia miſcuit; in Naturae miraculis Aquilino oculo, & animo, perluſtrandis.

Magnum *Etruriae* Ducem, tunc *Lotharingiae*, ante ſeptem admodum annos Aedes BOERHAAVIANAS Serenitate & honoris, & favoris Principalis, colluſtraſſe, nemo veſtrum eſt, qui non recenti adhuc memoria retineat.

Longum foret reliquam celebritatem undique BOERHAAVIO noſtro circumfuſam perſequi.

Aſſeveraſſe ſuffecerit, forte nunquam quemquam privatae fortunae eo Exiſtimationis publicae eſcendiſſe, quo Noſtrum communis omnium tum admiratio, tum veneratio, ſubvexit.

Quid dicam de ſtudioſorum ex univerſa *Europa* ad Tanti Nominis fulgorem excitatorum lectiſſimis & numeroſiſſimis cohortibus, quibus inde a quo docere

re coepit & in *publicis*, & in *privatis*, Acroaſibus ſtipatus, atque circumſeſſus fuit.

O qui ardor! qui amor! quem avidiſſimis praeſtantium doctrinarum Auditoribus, Divinum os ſuſpectantibus, Divinum pectus admirantibus, inſpirabat.

Sed reprimo me, ne dum frena laxem huic cogitationi, una cum exquiſita Nobiliſſimorum juvenum frequentia, qui inexhauſtum illum ſapientiae Fontem nunc clauſum lugent, totus lacrimis colliqueſcam, atque actionem hancce ineffabili, & ineluctabili, triſtitia confundam.

Hanc ſublimitatem publicae Gloriae, domeſtica Felicitas cumulavit.

Diu coelibatum praetulit jugali vinculo: atque veteri illo ac laudabili *Batavorum* more, animum non appulit ad Tori ſociam circumſpiciendam, niſi poſtquam Fortunas conſtabilitas vidiſſet.

Eam cordi ſuo exoptatiſſimam, & omnibus corporis animique dotibus commendatiſſimam, invenit, jam quadrageſimum ſecundum annum numerans aetatis, in MARIA DROLENVEAUX, prole unica Viri Ampliſſ. *Abrahami Drolenveaux*, quem *Leidenſis Reſpublica* ut Senatorem gravem, & Judicem ſapientem, venerata, Curiae ſuae Luminibus & Fulcris grata memoria accenſebit.

Hac MARIA Maritum 6. Martii 1685. beaverat una tantum *Lucina* felix *Maria des Quienes*, egregium Matronalis decoris ſpecimen.

Multum lucis & dignitatis cum paterna *Drolenveaxio-*

xiorum, tum materna *Des Quieniorum* gens, ut alibi, ita hac in Civitate, opibus, honoribus, adfinitatibus, omnibus ornamentis familiae, fortunae, vitae, florens, mihi ſuppeditaret, ſi BOERHAAVII noſtri Conjux talibus radiolis indigeret.

Domum deducta eſt A°. 1710. die 16. Sept.

Dici nequit quam ſuavi voluntatum concentione, atque adeo conflatione, ac conſolidatione, *Viginti octo annos* Lectiſſimum par exegerit.

Maritum meliorem nunquam Tellus tulit.

Uxorem quoque nullam Tellus dederit, quae magnum Magni conjugis adfectum majori teneritudine foverit: & morum ſuavium recenti ſemper glutine dicam, an faſcino potenti, intimius ſibi devinxerit.

Quum ſapientia, & bonitas, cum Religione ſocias nectunt dextras, tres *Gratiae* beatas aedes intrant, quarum venuſtas nunquam defloreſcit.

In Domo tali perpetua radiat, ridetque, ſerenitas, quae ne nubeculam quidem cordi, vultui, oboriri patiatur.

Tam laeta ſorte nobile par Conjugum praeminuiſſe, quis tandem ignorat?

Torus genialis quaterna prole viruit; nec tamen propria haec gaudia fuere.

Primogenita JOANNA MARIA, lucem adſpexit 19. *Martii* 1712.

Duae hanc Annis decimo tertio, & quarto, ſeculi,

culi, ſecutae ſororculae, *Magdalena*, & *Magdalena Jacoba*, in tenerrima infantia raptae.

Filius 9. *Junii* A°. 1721. editus, ne vitalis quidem fuit; tertio mox die extinctus.

In JOANNAM MARIAM, quam *Verecundia* ſuismet manibus finxit, *Virtus* ad omne decus virginale formavit; omnes ſpes, opesque, domus recumbunt.

Non tamen, qua eſt mentis erecta indole, magnum unquam reputavit, opulentae domus unicam eſſe Haeredem, ſed religionis & pietatis paternae haereditariam poſſeſſionem creviſſe, Felicitatis ſuae & Fundamentum agnoſcit, & Complementum.

Quibus Radicibus nixa fuerit BOERHAAVIANA illa Religio & Pietas, vel me tacente evincat unctionis coeleſtis abundantiſſima menſura, qua pectus vere *Theologicum* principis *Philoſophi* & *Medici* delibutum fuiſſe, ſenſiſtis, quum vobis primordia ſtudiorum ejus enarrarem.

Idem in omnium ſenſibus defigent hae lineae, ipſa Viri manu ductae.

Doctrinam ſacris Literis Hebraice & Graece traditam, ſolam animae ſalutarem & agnovit, & ſenſit.

Omni opportunitate profitebatur diſciplinam, quam Jeſus Chriſtus ore & vita expreſſit, unice tranquillitatem dare menti.

Semperque dixit Amicis, pacem animi haud re-

pe-

periundam niſi in magno Moſis praecepto de ſincero Amore Dei & hominis, bene obſervato.

Neque extra Sacra monumenta uſpiam inveniri, quod mentem ſerenet.

Deum pius adoravit, qui eſt.

Intelligere de Deo unice volebat id, quod Deus de ſe intelligit.

Eo contentus ultra nihil requiſivit, ne Idololatria erraret.

In voluntate Dei ſic requieſcebat, ut illius nullam omnino rationem indagandam putaret.

Hanc unice ſupremam omnium legem eſſe contendebat, deliberata conſtantia perfectiſſime colendam.

De aliis & ſe ipſo ita ſentiebat: ut quoties criminis reos ad poenas letales damnatos audiret, ſemper cogitaret, ſaepe diceret; quis dixerit an non me ſint meliores.

Utique, ſi ipſe melior, id non mihi auctori tribuendum eſſe palam ajo, confiteor; ſed ita largienti Deo.

Hactenus ipſe BOERHAAVIUS, e coeleſti, quam nunc tenet, ſede, coeleſtes vere voces auribus veſtris inſonans.

Hujus hanc cygneam cantionem, ut meum, ita veſtra quoque pectora, divino quodam gaudio permulſiſſe, ex hilaratis omnium vultibus hilaris lego.

Si redordiri liceret ad Finem properanti, A. A. H. H. quam ego Vos ſupra nubes, ſupra aſtra, ſubvehere conarer.

Quam ego Vobis ſinceriſſimum Numinis Adoratorem, & *Chriſti Jeſu* cultorem, imitatoremque, conſtantiſſimum, non tralatitia formularum publicarum pompa oſtentarem, ſed ſimplice veritatis habitu proponerem ante oculos.

Talem, qualem clauſis cubiculi foribus veſpertinus; vel auroram ipſam praevertens matutinus; ſeſe ad tremendae Majeſtatis ſolium advolvebat.

Ibi ardentiſſimis precibus quaeſita, ibi impetrata ſciatis a Patre luminum, illa lumina & ornamenta virtutum, quibus in univerſa vita, publica, & privata, fulſit.

Inde, inde derivatas ſciatis:

Illam mitem lenitatem;
Illam manſuetam bonitatem;
Illam demiſſam modeſtiam;
Illam ſapientem gravitatem;
Illam conſtantem firmitatem;
Illam ſerenam tranquillitatem;
Illam patientem tolerantiam;

Illam veram ac ſinceram in inimicos quoque, & violatores famae, caritatem, quae Noſtrum fido comitatu ſtiparunt; atque pulchro ſatellitio circumcinxerunt.

Inde, inde hauſta illa celſitudo invicta animi, quae ne quidem diris atrociſſimi Morbi tormentis, ſaevo arie-

rietatu incumbentibus longos per menſes, quati potuit, nedum labefactari atque convelli.

Explorata loquor: de quibus ſi vel locus, vel tempus, darent, multa admirabilia vobis ediſſertare poſſem, ea fide, qua qui Teſtimonium dicit veritati, communitum eſſe decet.

Pectoris interiores ſenſus nonnunquam introſpicere mihi per familiarem licuit Amicitiam.

Id genus colloquia tamen, quibus Animae ſinus & receſſus intimos intimis recludimus, nunquam verbis expreſſis evulgandos cenſeo.

Unum eſt, quod nunc ſupprimere piaculum eſſet, & Religionis ipſius imminutio.

Audite narrationem, quam in Templo Aeternitatis publice dedico, conſecroque.

Tribus quaſi hebdomadibus ante deceſſum, in ſuburbanum Defuncti noſtri me contuli.

Hora erat quinta veſpertina.

Repperi ſedentem ſub divo, cum *Uxore*, *Sorore*, & *Filia*, ſic ſatis vegetum vultu, ac ſerenum.

Notabam tamen triſtis, quam evictam ferme audiveramus moleſtiam reſpirationis, denuo ingraveſcere.

Quum verbis officioſis ultro utroque commutatis diſcedere pararèm, rogat, atque adeo jubet, horulam ſecum tranſigam.

Digreditur familia. Incipit liberius & intimius mecum agere.

Enar-

Enarrat quas cogitationes animus infinita vi Morbi oppreſſus, & ineffabiliter compreſſus, eliſuſque, volutaſſet.

Inſinuabat, ſe animae immortalis ſpiritualem naturam, certiſſimamque ſemper apud ſe diſtinctionem a corpore, & tamen mirificam ſub corpore obnoxietatem, quam diu voluntas Creatoris nexum vitalem non reſolveret, multo vividius, profundiuſque, experiundo perſenſiſſe, ac perſpexiſſe, infinita cum admiratione Potentiae & Sapientiae imperveſtigabilis, quam unquam meditando & philoſophando aſſequi quis poſſet.

Videlicet Menti quidem conſtare ſuum illud perenne principium cogitationum, a Materia toto coelo diſſidens, & ſejunctum; ſed tamen id ipſum principium ad Triſtia ac Laeta incomprehenſibiliter Materiae ſubjectum; per vim, & legem, nulla unquam acie penetrandam.

Addebat, ſe in dolorum elidentium, & angorum praefocantium, acceſſionibus graviſſimis, quae omnes vires & Corporis, & Spiritus, non exhaurirent, ſed commolerent, ſed contunderent, ſed cerae inſtar ad ignem colliqueſacerent; mentem animi ad hoc ipſum attentam retinuiſſe, ſub mole moleſtiſſima procumbentem illam quidem, ſed non ſuccumbentem: atque *Fidei*, *Spei*, *Amoris* ſenſu interiore ita ſerenatam, ut paternam Dei manum ſemper potuerit exoſculari, Ejuſque ſe Nutui Maximo, eidemque Optimo, placide ſubmittere. Per-

Digitized by Google

Pergebat, ſe intime tamen dolere, quod ab hac ſerena, & tranquilla, deditione ſui ſemel deflexiſſe ſibi videretur, quum per *quindecim continuas horas* tormentis uſque & uſque invaleſcentibus, ſupra quam dici, aut cogitari, queat, ſub dolore iſto infinito conteri, atque ita uno ictu anxietatibus iſtis intolerandis abſolvi, fervidius a clementiſſimo Patre & Creatore expetiviſſet.

Quum perculſus ſimul, ſimul erectus magnanimitate *Chriſtiana* Viri reponerem, meo quidem judicio talem motum vel fervidiuſculum ſub aeſtu immenſi doloris a natura hominis abeſſe non poſſe, eundemque integerrimos Dei cultores, *Jobum* ipſum, ſpecimen & ſpeculum roboris inconcuſſi, tetigiſſe; acquievit equidem, ſed ſimul regeſſit, O vocem quam vivens, quam moriens, alto pectori impreſſam velim! *Id Deum Amantibus unice bonum, ideoque unice optandum, quod ſupremae Bonitati aeque ac Majeſtati praeplaceret.*

Hanc cogitationem, quando videret ſpem, quae adfulſerat, retro ſublapſam ferri, ſibi fidiſſimam eſſe ancoram, quam mediis in fluctibus, ac vorticibus, ineluctabilium angorum nunquam eſſet dimiſſurus.

Compendio expreſſi quae pluribus dicta, acta. Nulla vis Orationis aſſequatur, aut exprimat, illud placidum, tenerum, pium, *Chriſtianae* unctonis plenum, quod BOERHAAVII ore ſimul & vultu elucebat.

Commoveor ſane, quoties ea de re cogito, & vere dicere poſſum, nihil mihi in vita admiralius obveniſſe.

O Triumphus Fidei! O Amor vere fortior Morte, vehementior Inferis! prunae tuae ardentiſſimae; flammae Dei; quas non aquae validae dolorum, non flumina torrentia angorum, poſſint extinguere; ſed ad acriorem, purioremque, flagrantiam exſuſcitent, ubi ſemel coeleſtis ille ignis pectus veri Adoratoris ſuccendit, atque implevit.

Ter, quaterque Beatos! quibus hoc in ſenſu & vivere, & emori, contingit.

Ad fatalem terminum rapi ſentio ſermonem.

Non eſt tamen, quod inde conterritus reſiliam.

Qui Magnus vixit, Major, ſeque ipſo Celſior, in diriſſima morte, tam Fortiter ac Magnanimiter obita, reperietur.

Nemo ignorat, Virum alias temperantiſſimum, *intemperantia* quadam *laborum*, firmum, & ad omnia obſequioſum, corpus, imperioſe nimis & duriter habuiſſe: atque ita, quod clarus Artis Doctor vetat, *ſecunda valetudine adverſae praeſidia conſumſiſſe.*

Hinc triplex morbus Atrociſſimus, cum ſaeva malorum cohorte, in Eum incubuit.

Primus medio *Auguſto* 1722. ſaevire occoepit, quum ut *Sermo Academicus* denarrat, *Lecti tepore relaxata corporis ſpiramenta antelucano frigori, & penetrabili irrigui roris humori, exponens, vitam fere perdidit, in ſe incurioſus committens, quae ut cum cura caverent, aliis fideliter inculcarat.*

Ar-

Inde *Arthritidis exquiſiſſimae tormentis diſcruciatus, tandem jacuit reſolutus, ut vix amplius ſenſus ullus, nullus utique motus inferioribus artubus ſupereſſet.*

Nempe conſumtis vi cruciatuum ſuccis *paralyticus, femora, crura, pedes* movere impos, integros menſes in dorſum recumbere coactus fuit, absque ut vel tantillum ſeſe commovere auderet, quod ad minimam inflexionem laterum irritata tormentorum ſaevities, praeſentiſſimam necem intentaret.

Retulit mihi Cl. BOERHAAVIUS ante aliquot annos, quum aliquid penitius de acerbitate morbi iſtius requirerem familiariter, ſe inſomnes per noctes, diebus continuatas, immanes dolores non alio allevamento mitigaſſe felicius, quam contentiſſima cogitatione percurrendo, & quaſi relegendo in memoria, quicquid unquam legiſſet.

Dumque Equuleo ipſum admoveret dira Arthritis, ſe literarium ſibimet Ludum aperuiſſe intus, quo carnificinam tanquam Muſarum cantu ſopiret.

Contumax & immite malum quinque menſes nil relaxavit.

Quum jam eatenus remiſiſſet, ut Medicinam pati, & audire, velle videretur, *ſuccos preſſos bibit* Noſter *herbarum Cichoraei, Endiviae, Fumariae, Naſturtii aquatici, Veronicae aquaticae latifoliae,*

copia ingenti : ſimul deglutiens abundantiſſime gummi ferulacea Aſiatica.

Inde ad Miraculum convaluit. *Diem, qua infirmior adhuc ſcholas privatas aperuit iterum*, is fuit *Jan.* 11. 1723. *publico* civium Academicorum *gaudio*, feſtivisque illuminationibus concelebratum fuiſſe, noviſtis.

Alter Morbus, multo quoque validiſſimus Noſtrum invaſit ſub finem anni 1727. ardentibus febribus tam ſaevus incubans; ut jam conclamatus, depoſitusque, cenſeretur.

Ab hoc tempore variis perpetuo incommodis deteri, dejicique, BOERHAAVIUS; & tamen de Laboribus nihil relaxare.

Succubuit itaque tandem feſſum fractumque corpus, quantumvis e robore dolatum: ſed haud ſecus atque annoſa ſuccubuit quercus, quae niſi lentis, ponderoſisque, ictibus ſterni negat.

Praeludia ultimi mali ingruerunt medio ferme anno 1737. quum *perſentiſcere* coepit *tardantis moleſtias anhelitus lento gradu increſcentes.*

Acceſſere A°. 1738. *inſolitae arteriarum pulſationes in dextra parte colli, & nunquam ante obſervatae micationes perturbatae in arteriis.*

Hanc perpendens, credidit ſubnaſci inter cor & pulmones, obſtacula motui vitali polypoſa, cum dilatatione vaſorum.

Haec ſunt omnia, quae in commentariolo vitae annotata repperi.

En

Digitized by Google

En expreſſius quid, & deductius, quod Londinenſi Amico, morbi naturam requirenti, reſcriptum, 8. Sept. 1738.

Id inter ſchedas inventum, ſupprimere nefas.

Aetas labor, corporiſque opima pinguitudo, effecerant, ante annum, ut inertibus refertum, grave, hebes, plenitudine turgens corpus, anhelum ad motus minimos, cum ſenſu ſuffocationis, pulſu mirifice anomalo, ineptum evaderet ad ullum motum.

Urgebat praecipue ſubſiſtens prorſus, & intercepta, reſpiratio ad prima ſomni initia: unde ſomnus prorſus prohibebatur, cum formidabili ſtrangulationis moleſtia.

Hinc Hydrops pedum, crurum, femorum, ſcroti, praeputii, & abdominis.

Quae tamen omnia ſublata..

Sed dolor manet in abdomine cum anxietate ſumma, anhelitu ſuffocante, & debilitate incredibili: ſomno pauco, eoque vago, per ſomnia turbatiſſimo.

Animus vero rebus agendis impar.

Cum his luctor feſſus, nec emergo: patienter expectans Dei juſſa, quibus reſigno data; quae ſola amo, & honoro unice.

Digitized by Google

Quum cum Cl. *Ooſterdykio*, qui BOERHAAVIO noſtro adſiduus adfuit, atque pretioſo Capiti amorem integerrimum, & curam tenerrimam, impendit, haſce lineolas communicarem, ſimulque officioſe rogarem Honoratiſſ. Collegam, vellet mihi *pleniorem Morbi Hiſtoriam* ſubminiſtrare, quae diritatem mali Atrociſſimi eminentioribus adhuc coloribus expingeret, regeſſit ſapiens, peritos Naturae & Artis nil plenius, expreſſius, eminentius, deſideraturos.

Percuſſit me magnitudo animi; qua viri fortes obarmati, quum ſapientia eorum Religione corroboratur.

Cl. *Ooſterdykius* in *Verae Iſchuriae* tormentis, quae ſupra quam dici poteſt, dira, ſaeva, formidoloſa, extraordinario plane genere mali, nuper aliquot menſes ſuſtinuit, atque exhauſit, ſereno ſemper vultu, animoque, Amicis, qui dolorem teſtaturi veniebant, ſe non *Stoicum* doloris contemtorem, ſed *Chriſtianum* doloris victorem, & verbo, & facto, demonſtrabat.

Eadem celſitudo, & exaggeratio *Chriſtianae* firmitatis, ut BOERHAAVIUM noſtrum nunquam reliquit, ita ex brevi hocce ſcripto inſignite relucet.

Tragoedias excitare ſolent, etiam in vulgatioribus malis, imbecilles animi.

Fortiſſimi virorum in gravioribus, ſi forte, aut communem modum ſupergreſſis, adeo a Tragoediis non temperant, ut etiam in paratragoediationes ſeſe ſaepe efferri patiantur.

Uti-

Digitized by Google

Utique laxamenti quid ferre credimus ferme, ſi querelis amarioribus nonnihil indulgeamus, in ſinum amicum effuſis ac depoſitis.

BOERHAAVIUS immanibus doloribus adeo non fractus, dejectusque, ut ſemet ſemper altior iret.

Certe quam magis intolerando eorum pondere allideretur; tam magis ſeſe celſus erigere ille, in coelum adorabundus ſuſpicere, paternam Dei manum oſculari; conſolatorem ſeſe adflictiſſimae uxori, ac Familiae, praebere: placido, ſerenoque, ſpiritu, conturbatum ſuorum ſpiritum recreare.

Eadem lenitas, & ſerenitas, poſtremas haſce lineas, & *hiſtoriam Morbi*, dictavit.

Qui quid quodque verbum ferat ponderis aſſequi valebit, cohorreſcet ad infinitam molem moleſtiarum, anxietatum, ſuffocationum, & ſtrangulationum, quam ne cogitatio quidem attingat, nedum ut ulla eam verba exprimant atque repraeſentent.

Quanta fuerit diritas vel hinc colligere eſt, quod jam menſe *Majo* pia pro BOERHAAVIO concipi potuerint vota, etiam ab iis quibus vita ipſa erat carior, ut, ſi ſupremus Arbiter annueret, quantocius finiretur.

O dies! O hebdomadae! O menſes! poſt talia vota extracti, usque ad *octavum Kalendas Octobreis*! Vos ego Teſtes cieo ſuprahumanae Patientiae & Conſtantiae; quae mihi multo Majorem offerunt BOERHAAVIUM in tanta Morte tanto animo ſuſtinenda, quam

quam in universo vitae cursu, Viri Maximi radios quaquaversum dimittente.

Spem satis magnam restitutionis aliquot dierum spatio interfulsisse sub finem *Augusti*, novistis.

Sed ea brevi ita extincta, ut pro Viri morte supplices preces fundere pietatis esset.

Ad finem quum res iret, praesentissima, & placidissima, mens animi duravit.

Dolores, angoresque, abscessisse dixisses, si incredibilem illam tranquillitatem spectasses, atque divinam plane lenitudinem; sed erat victrix extremi certaminis Fides, quae Hostem saevum exarmans, & triumphans, jam beatam immortalitatem sub ultimo Mortis ictu, impetuque, auspicabatur.

In glorioſam illam sortem, haereditatemque. Sanctorum in luce, Candidissima HERMANNI BOERHAAVII anima translata, atque immissa, die 23. Septembris, inter quartam & quintam matutinam, tribus mensibus & octo diebus *Septuagenario* minoris.

Finivit ita terris exemtus, Coelestiumque Choris adscriptus, *Magnus* noster BOERHAAVIUS!

Finivit!

O damnum irreparabile!

O vulnus nullo unquam tempore leniendum!

Sive *Domum* respiciamus, *Familiamque* universam, quae suum sibi *Fulcrum*, & *Decus*, ereptum lugent.

Sive *Amicos* ubique Regionum ipsi devinctissimos, qui & ornamentum, & praesidium grande, sibi subtractum dolent.

Sive

Sive *Civitatem*, & *Rempublicam*, quae omnis ſeveri & antiqui moris perdidit ſpeculum.

Sive *Eccleſiam*, quae Exemplum Virtutum vere Chriſtianarum amiſit.

Sive *Orbem Eruditum*, quem Scientiae & Doctrinae gloria implevit.

Sive *Medicinam*, cum reliquo excellentiſſimarum Artium Choro, quibus ſe maximum praeſtitit *Statorem*.

Sive *Academiam* denique, quae BOERHAAVIUM ut *Lumen* ſuum, ac *Columen* illuſtre, conſpirante omnium ſenſu, conſenſu, amore, honore, venerabatur.

Academia certe, quae deceſſu *principis Theologi*, immortaliter de ſe promeriti, moerore oppreſſam ſe ſentit; ſub conduplicato vulnere eo uſque procumbit, ut erigere ſeſe, ac emergere, non poſſe videatur.

Si tamen pia alloquium pati poteſt, unicum hocce profari liceat.

Non FINITUS eſt BOERHAAVIUS Noſter: neque unquam FINIETUR.

Non dicam illa tranſlaticia.

Vivit in pectoribus.

Vivit in perenni nominis celebritate.

Haec publicum Tanti Viri deſiderium irritarent magis, quam mitigarent.

Quid ergo dicam? Quid alloquii admovebo?

Vivit, vivit BOERHAAVIUS in *Medicina Hippocratica*, ita per ipſum inſtaurata, atque ex fundamentis ſoli-

Digitized by Google

diſſimis ad tantum firmamenti ac faſtigii provecta, ut nutare nunquam poſſit: nedum ut ruinam metuendam habeat.

Vivit in aeternis illis Monumentis, quae Oraculis *Hippocrateis* omnium ſeculorum conſentiens laus, & admiratio, aequabit.

Vivit in tot capitalibus ingeniis; BOERHAAVIANAE Medicinae cultoribus, ac propagatoribus; qui ex ſapientiſſima Viri Schola, tanquam ex communi *Europae* ſeminario, exierunt, atque cunctas Regiones ejusdem aemulatione impleverunt.

Vivit vel maxime, O *Academia*! ut propius adhuc, potentiusque, lenimen dolori ad vitalia adacto applicem. Vivit in Honoratiſſimis Collegis, quibuſcum *Provinciam Medicam* tam ſplendide adminiſtravit, amplificavit.

Ne quis auribus quid ambitioſius dari ſuſpicetur.

Ipſe BOERHAAVIUS, ab Illuſtribus Curatoribus, & Conſulibus, pro impenſiſſimo Eorum in rem *Academicam* ſtudio, conſultus, pio pectore teſtatum voluit, quod in publicum expromo.

Gratulari ſe *Academiae* fundatiſſimas res, opesque, cum aliis in Facultatibus, tum in *Medicina* ſuſtinenda, atque ſumma cum dignitate ad egregium publicum propaganda.

Hanc certe Quadrigae Virorum, in artibus *AEſculapiis* abſque controverſia principum, innixam, cum ſplendorem, tum Celebritatem qua floreat, haud dubie tuituram. *Non*

Digitized by Google

Non esse proinde, quod, hoc quidem rerum statu, alia Fulcra atque praesidia sapientiae Medicae circumspiciantur; quam quibus nunc ornata sit, atque subcincta.

Clariss. OOSTERDYKIO *certe, annis sibi & laboribus pari, cum profundissima Scientia consummatissimam, ac plane incomparabilem, Experientiam constare.*

Celeberrimos item, ALBINUM, ROYENIUM, GAUBIUM, *aestumatissimos olim Discipulos, dein Collegas, commendationem excellentissimae cum Indolis, tum Doctrinae, non implesse solum, sed, consentiente omnium judicio, applausuque, exsuperasse.*

Sub tantis hisce praesidibus, scholam Hippocraticam perpetua sibi & incrementa, & ornamenta, posse promittere: quae Terras nunc ad jussa Omnipotentis relicturus, stationeque decessurus, ipse quoque firmissima cogitatione lactus praecipere, pioque in Academiam adfectu, & ore, praecinere auderet.

In hoc Oraculo desiit, supremaque sensa, & vota, consignavit Magnus noster BOERHAAVIUS; fidus, si quisquam, firmusque consulenti, & cordatissime,

quae cogitaret, promere ſuetus.

Vos praeclari Juvenes, qui Tanto Nomini, & Lumini, aeternam ſacraviſtis venerationem, efflo-reſcite ad magnum hocce Maximi Viri Exemplum, in omnem *Medicae Doctrinae*, *Sapientiaeque*, excellentiam atque ubertatem, & ut nobilia *Scholae Hippocraticae* germina nunc, dein lucida ſidera, *Academias*, *Civitates*, *Aulas*, condecorate.

Corpus BOERHAAVIO obtigit robuſtum, compactum, toroſum, viribus ultra fidem praepollens.

Hoc a teneris fuga mollitiei omnis eduratum; atque ad labores injuriasque aëris ita obfirmatum, ut ventos, imbres; frigora, aeſtus; laſſitudines, dolores; juxta contemneret.

Eidem in vegetam eximiamque ſtaturam erecto, ſub ſimplice ſpecie grande quid inerat, & dignum; quod ex inceſſu, ſtatu, motu omni, eminebat.

In vultu multa cum ſapientiſſimo *Graecorum* ſimilitudo; tum ob clementer illud reſimum Naſi; tum praeſertim ob genuinum Urbanitatis characterem, miti ſapientia temperatum.

Oculorum vigor aciem perſpicaciſſimam mentis, & conſtantiam pectoris non ſe rebus, ſed res ſibi ſubjungentis, declarabat.

Habuit & hoc cum Philoſophorum principe commune, quod hoſce animi indices, Vultum Oculosque, nec laeta magnopere diffunderent; nec triſtia & ingrata obnubilarent.

Pau-

Digitized by Google

Paulo adductior tamen *Socrati* ſeveritas; ut BOERHAAVIO hilarior fere inerat ſerenitas; quae nubeculas quoque aliorum frontibus poterat detergere.

Haec altam mentis pacem ac tranquillitatem ſignans, Virtutis ſemet jucunde poſſidentis comes eſt, cuſtoſque.

Prudentia, Juſtitia, Temperantia, Fortitudo, nomina ſunt, & ſoni magnifici, quibus ſemet oblectant, aliique alios in coelum evehunt, Mortales.

Scilicet adumbratam harum excellentium laudum ſpeciem tenuiſſe contenti ferme, ad expreſſam & eminentem earundem effigiem vix adſpirant.

Hoc ſenſu, judicioque, plus vice ſimplici BOERHAAVIUM audivi, cum diceret, multos ſe cernere *Chriſti* doctrinam profeſſos: ſed paucos diſcernere, qui vivam Maximi Magiſtri imaginem vere induerent, atque vita ipſa exprimerent.

Ejusdem principii, quod non ſemel quoque, inter amica colloquia, hiſce auribus excepi; primum Scholae *Chriſti* praeceptum a plerisque, qui ſe Ejus ferunt diſcipulos, praetervideri: *Diſcite a me, Manſuetus me eſſe, & Humilem corde* &c.

Hanc Chriſtianam *Humilitatem*, ex vero jam ſic dictam, quae coram immenſitate Dei ita ſubſidit, ut ne tantillum quidem ſibi arroget, tanquam virtutis florem, honoremque, unice amplectebatur; eamque non Naturae praeſtantioris, ſed Gratiae opus, fructumque, agnoſcebat: non niſi inſtantiſſimis ardentiſſi-

misque precibus impetrandum.

Hinc toto vitae decurſu prima, & ſanctiſſima; Viro cura, e ſtrato ut levatus, a ſomnoque recens, ſeſe per ſpatium Horae piis adorationibus meditationibusque, ſemotus ab arbitris, ipſa etiam Conjuge, totum daret: atque mentem lumine Solis juſtitiae diſſerenaret.

Sic demum, & vigorem, & robur, rebus agendis, officiiſque tuendis, ſibi conſtare, ut ſuis profitebatur; ita iiſdem id ipſum pro vitae, magno mari commiſſae, gubernaculo, & ancora, commendatum voluit.

Non miror jam, ſi ſapientia clarus BOERHAAVIUS, & inſtar excellentiſſimum omnis Doctrinae ſimul, & Virtutis, ſeculis praeſtans, tam modeſte ſemper, tam demiſſe, de ſemet ipſe ſenſerit.

Nempe qui Deo plenus; eo profundius in ſe ſidit, quo altius in Deo ſcandit: ut contra, quam magis Numine quis vacuus, tam magis ad omnem vanitatem, & arrogantiam, ſuomet impetu ventoque effertur; ſi vel ob Doctrinae reconditioris theſauros; vel ob eminentiora Naturae dona, ac bona, ei ab omnibus adplaudatur.

Ex hac mente Deo plena profectum quoque, quod *Bonitate proxime ad Dei naturam, & ſimilitudinem, accedi*, ore cordi concinente dictitaret.

Hanc ſane Bonitatem ut omnis ſolatii, gaudiique, Radicem, toto adfectu & fovebat, & reſpirabat.

Hanc

Hanc Animae magnitudinem unicam agnoſcebat; hanc veram Fortitudinem; quae vinci malo neſcia, malum manſuetudine, & caritatis officiis, vel evincat, vel confutet, atque confundat.

Ex eodem hocce nobiliore principio iram ita edomitam habuit, ut iraſci non poſſe videretur.

Rogatus certe a me, ante hos decem admodum annos, quum immotum illud, & invictum mentis manſuetae, etiam aſperis in occurſibus, ſaepius cum admiratione notaſſem; num vel poſſet iraſci? aut qua tandem arte ſe ab ira penitus intactum praeſtaret? repoſuit Candidus, ſe naturae quidem commotioris, & ſic ſatis promtae; ſed prece, & meditatione quotidiana, non frenari ſolum, verum etiam debellari, Hoſtem unum omnium maxime formidoloſum.

Ecquid cernitis Animum vere Magnum, non rebus tantum humanis, ſed etiam ſemet ipſo, ſuperiorem?

Ecquid percipitis, quam pulchris e radicibus virtutes BOERHAAVIANAE efflоruerint: ſeque in omnia munia vitae privatae, & publicae, conſtanti tenore, ac vigore, explicuerint?

Has in faſciculum nunc porro colligare mihi liceat; quod finem alias nullum nactura ſit Oratio.

Recto oculo cuncta metiens, animum falſis acclinem non dedit.

Nil cupere; praeſentia laudare; ſua ſorte contentum eſſe; Regnum cenſuit, & veras divitias.

An-

Antiquae mediocritatis, frugalitatis, continentiae, ſpecimen unicum, oſtendit, non opes ſeculum corrupiſſe, ſed molles animos ipſas ſecum opes corrumpere, atque in fomentum vanitatis, ſuperbiae, luxus, emollire.

Laetis, triſtibus, juxta par; eodem greſſu, eodem vultu, adſpexit, excepit, perambulavit, omnia.

Gratus ad exceſſum, ſi in Virtute exceſſus, nihil in vita ſuavius ſibi duxit, quam bene de ſe promeritos, publice, privatim, celebrare: & officia, beneficia, ſibi impertita, cum foenore rependere.

Vindictae cupiditati adeo non cedens, ut beneficiis injurias ſibi illatas ulciſceretur: quin ſervarit, qui ipſum perditum voluerant.

Munificus, & liberalis, in pauperes: non tamen ſub buccina, ac praecone.

Nullum Theatrum Virtuti Conſcientia majus, pulcriusque, judicabat.

Amicis ſic officia praeſtitit, ut vel nunquam, vel longo demum tempore poſt, ab aliis, ſi forte, reſciſcerent, quantum ipſi deberent.

Veriorem, firmiorem, teneriorem, Amicum terra non dedit; dederit.

Liberiorem, eundemque modeſtiorem, ac temperatiorem, in veritate cum promenda, tum tutanda, nulla ſecula tulerunt; ferent.

Rigidi ſervator honeſti, nec deflexit inde; nec deflectere quemquam, quicum Ei res, patiebatur.

Per

Digitized by Google

Perſonam nec in Judicio, nec in Conſeſſu, accepit.

Ne Rex quidem, vultusve inſtantis Tyranni, ſolida Eum mente quatere potuiſſet.

Nulli tamen perſonae debitam reverentiam unquam minuit.

Hominum indolem, & mores, phyſiognomone oculo inſpicere, & pertentare, mire potens.

A ſuſpicionibus integer plane, omnia in meliorem partem interpretabatur candidus; vel excuſabat benignus.

Conſilii promtioris, firmioris, pacatioris, & ad concordiam ſanciendam, ſarciendamve, accommodatioris, nemo.

De rebus, ſcriptisve, ſuis, nihil ſponte praedicabat.

Rogatus, ita reſpondebat, ut non ſuas Eum laudes quaerere, ſed utilitatem rogantis, appareret.

Nemini detrectavit; ſed in laudibus aliorum frequens, & exultans, iisdem fruebatur quaſi.

Obtrectatores ſuos tam placidus tulit, ut ſi quid laudabile haberent, id ipſum collaudaret; pejus latus tranſiens, vel & velans.

Calumniantium voculas ſcintillis comparabat, ſponte dilapſuris niſi ſufflaveris.

Laceſſitus ſat crebro ſcriptionibus minus benignis, nihil reſcripſit; veritati melius ſic & conſuli, & litari, exiſtimans. *Invidiam* certe Medicina ipſa irri-

tari. *Stuporem* extra fines Eruditionis poſitum. *Ignorantiam* non ſtupidam, ſibimet & poſſe mederi, ſi inquirere velit; & malle ſane per ſe, quum poſſit, quam per alium, errore exſolvi.

Laudabat tamen *Horatianum* illud;

- - - - - - - - - - *Ridiculum acri*
Fortius, & melius, magnas plerumque ſecat res:

ſi modo albus ſal vitioſis humoribus Adverſarii pellendis admoveretur.

Ipſe videlicet natura Eiron, & Urbanus, poſſidebat genus illud perelegans, cum gravitate ſalſum, atque omni lepore humanitatis imbutum, quod in *Socrate* admirata vetuſtas.

Hoc non jocos tantum ſuos, quibus nil liberalius, facetiusve, tingebat; ſed & ſeria ſpargebat jucundiſſime.

Genus dicendi, docendique, temperatura admirabili Copioſi & Conciſi condîtum habuit.

Sunt qui multis verbis Nihil dicant. Sunt qui aliquid dicentes, multitudine verborum id ipſum onerent; quin obruant. Sunt qui paucis multa; ſed obſcurius. BOERHAAVIUS verborum parcus, profundos uberesque ſenſus lucide efferebat.

Ad nullam Doctrinam acceſſit, acceſſit autem ad omnes, quam non univerſam comprenderit omnium Capax, vi ſuperiore mentis & qua eundum eſſet confeſtim pervidentis, & eodem igneo vigore ſeſe per omnia penetrantis. Ne-

Digitized by Google

Nemo Eum audire, nemo videre potuit; ſine tributo illo quod magnitudo Genii, & ingenii eminentis, ſua ſponte impetrat.

In ſua quisque Arte Virum Artifice ipſo vel peritiorem, vel perſpicaciorem, ſentiebant, atque emirabantur; etiam ſagaciſſimi.

Matutinas & Veſpertinas horas ſtudiis conſtanter dicavit. Media ſpatia publico conceſſa.

Poſt peractos labores, equitationis exercitio ſe dabat. Ab eo prohibitus aegritudine cruris ſiniſtri, & cruoris de renibus ructu, pedes ſe exercebat.

Feſſus, teſtudinis concentu ſolabatur laſſitudinem; Muſices amantiſſimus.

Praecipue vero reſpirabat, & vivere ſibi ac regnare videbatur, in peramoeno ſuburbano, cujus ampliſſimum fundum in *Paradiſum* Medicum converterat, ſtirpibus Arboribusque Exoticis, quas coelum ſolumque *Batavum* pati potuit, ditiſſime inſtructum.

Ibi primaevam innocentiam guſtans, a tumultu rerum, curarumque, ſecretus; *Paradiſi* coeleſtis amoenitates praelibabat. Illuc Vita tam ſplendide tranſacta, Morte tam glorioſe triumphata, evecto Boerhaavio, Epinicia accinere par eſt; & manibus dare Lilia plenis.

D I X I.

Digitized by Google

CORRIGENDA.

Pag. 8. vſ. 3. *Elandianae.* Lege *Evae.*

Pag. 31. vſ. ult. *Complectius.* Lege *Completius.*

Pag. 33. vſ. 8. *tanta.* Lege *tanto.*

Digitized by Google